Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/iniusantepianum0000bene

Prov Calif.

IN IUS ANTEPIANUM

t Pianum ex decreto "Ne temere„



Oj 2

BENEDICTUS OJETTI S. J.
Prof. iuris canonici in Pont. Un. Greg. Coll. Rom.
Consultor S. C. Concilii, Commissionis pro codificatione iuris canonici, etc.

IN IUS ANTEPIANUM

ET PIANUM EX DECRETO "NE TEMERE,,

S. C. C. 2 AUG. 1907

DE FORMA CELEBRATIONIS SPONSALIUM ET MATRIMONII

COMMENTARII



ROMAE
FRIDERICUS PUSTET
PONTIFICALIS BIBLIOPOLA
1908

Approbatio ecclesiastica operis

Quum opus, cui titulus *In ius antepianum et pianum ex decreto "Ne temere„ S. C. C. 2 aug. 1907 de sponsalibus et matrimonio commentarii* a P. Benedicto Ojetti nostrae Societatis sacerdote conscriptum, aliqui eiusdem Societatis revisores, quibus id commissum fuit, recognoverint et in lucem edi posse probaverint; facultatem concedimus ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas et sigillo Societatis nostrae munitas dedimus.

Romae, feria V, in Coena Dni die 16 apr. 1908.

Ludovicus Querini, S. I. Vice-praepositus Prov. Romanae.

Imprimatur

Fr. Albertus Lepidi, O. P. S. P. A.. Magister.

Imprimatur

Iosephus Ceppetelli, Patr. Const. Vicesgerens.

Editor sibi omnia iura reservat.

INDEX

LECTORI . . . . . *Pag.* XV

PARS PRIMA.

DE IURE VETERI SEU ANTEPIANO

CAPUT PRIMUM.

De celebratione sponsalium.

1. De iure antetridentino nulla forma requiritur pro valida sponsalium celebratione. — 2. Et etiam de iure tridentino. — 3. Duae immutationes ultimis hisce temporibus ; quoad Hispaniam; quoad Americam latinam. — 4. Nonnulli episcopi immutationes iuris communis quoad hoc postularunt . . . . . *Pag.* 1

CAPUT SECUNDUM.

De celebratione matrimonii iure antepiano.

ARTICULUS I.

De celebratione matrimonii iure antetridentino.

5. Ecclesia semper improbavit et prohibuit matrimonia clandestina; praecepit celebrationem matrimonii in facie ecclesiae et exquisivit populi testimonium de habilitate sponsorum ad nuptias; publica nuntiatio matrimonii in ecclesia facta. — 6. Lex lateranensis mansit usque ad Conc. Tridentinum, imo alicubi etiam post Tridentinum. — 7. Innuitur nova forma a Tridentino praescripta . . *Pag.* 5

ARTICULUS II.

De legitima celebratione matrimonii iure tridentino.

DECRETUM CONCILII TRIDENTINI SESS. XXIV. C. I. DE REF. MATR. *Pag.* 12

§ I. — De natura et sequelis clandestinitatis.

8. Matrimonium clandestinum invalidum, nisi certa forma servetur. — 9. Et ne sponsalium quidem vim habet . . . . *Pag.* 14

§ II. — Quae requiruntur ut decretum tridentinum vim suam exserat.

10. Debet promulgari in unaquaque parochia. — 11. Tamquam decretum Concilii. — 12. Ac publicari et explicari populo. — 13. Promulgari autem debet ab ordinario vel de eius mandato. — 14. Quoad tempus promulgationis nihil statutum. — 15. Lex haec tridentina vacat per triginta dies a promulgatione. — 16. Promulgari potest pro quibusdam tantum personis. — 17. De facto diuturnae observantiae. — 18. Quod tamen constare debet certis et evidentibus argumentis. — 19. Desuetudine decretum tridentinum potest abrogari. — 20. Et a legitima auctoritate restringi ad quasdam personas. — 21. Vis decreti personalis et localis. — 22. Ab ea excusat impotentia habendi parochum vel episcopum. — 23. Alicubi decretum publicatum fuit ex parte. — 24. Dubitatur num in aliquibus locis fuerit publicatum . . . . . *Pag.* 15

§ III. — De assistentia parochi et testium.

25. Parochus assistens est parochus proprius; haec qualitas parochi *proprii*, undenam desumatur; de parocho suspenso, irregulari, excommunicato, putativo; an parochus possit destitui facultate assistendi; de vicariis curatis et deservitoribus; quinam praeter parochum iure suo assistere possint. — 26. Requisita ut parochus dicatur praesens. — 27. Parochus et testes debent formaliter adhiberi. — 28. Domicilium hic aestimandum est iure canonico et constituitur habitatione in parochia: necessaria ad domicilium acquirendum. — 29. De domicilio quoad eos qui sui iuris non sunt, quoad uxorem, alumnos collegiorum, professores, medicos, officiales publicos, magistros, famulos, eos qui partim in civitate, partim ruri degunt, milites, damnatos ad carceres, infirmos, peregrinos, vagos. — 30. Ad quasi do-

micilium; specialia pro quibusdam locis. — 31. Qui matrimoniis assistere per se valent, possunt hoc munus alteri sacerdoti committere. — 32. Et hoc quoad validitatem tum speciali tum generali delegatione. — 33. An proparochi censendi sint habitualiter delegati. — 34. Notanda quoad delegationem. — 35. Quinam debeant esse testes et quaenam eorum praesentia . . . . . *Pag.* 25

§ IV. — **De poenis in contravenientes decreto tridentino.**

36. Quae poena maneat contravenientes decreto . . . *Pag.* 41

§ V. — **De benedictina declaratione.**

37. Quid statuerit Benedictus XIV et pro quibusnam locis. — 38. De natura benedictinae declarationis. — 39. De extensione declarationis. *Pag.* 41

VI. — **De promulgatione decreti.**

40. Loca, in quibus decretum publicatum fuit; loca, in quibus pubblicatum non fuit; loca, in quibus dubitatur an publicatum fuerit; loca, ad quae ex indulto S. C. extensa est declaratio benedictina; loca, in quibus derogatum est decreto tridentino quoad matrimonia mixta. *Pag.* 43

Elenchus locorum, in quibus tridentinum decretum de matrimoniis clandestinis publicatum est, et eorum in quibus publicatum non est.

I. — *Loca in quibus decretum publicatum est.* . . . *Pag.* 44
II. — *Loca in quibus publicatum non fuit* . . . . » 50
III. — *Loca in quibus dubitatur an publicatus fuerit* . . » 52

Index locorum, quibus ex S. Sedis indulto extensa est declaratio Bened. XIV de matrimoniis Hollandiae . . *Pag.* 54

Elenchus locorum, in quibus derogatum est decreto Concilii Tridentini relate ad matrimonia mixta. . . *Pag.* 56

PARS SECUNDA.

DE IURE PIANO

DECRETUM DE SPONSALIBUS ET MATRIMONIO IUSSU ET AUCTORITATE SS. D. N. PII PAPAE X A S. CONGREGATIONE CONCILII EDITUM 2 AUG. 1907. . . . . *Pag.* 59

De decreti praeambulo.

41. Rationes edendi decretum et immutandi disciplinam tridentinam; constitutio formae substantialis non solum pro celebratione matrimonii sed etiam pro celebratione sponsalium . . . *Pag.* 64

CAPUT PRIMUM.

De celebratione sponsalium.

42. Sponsalia ad validitatem debent contrahi per scripturam subsignatam. — 43. De casu, quo pars utraque vel alterutra scribere sciat, sed non possit. — 44. An ablata sit potestas ineundi sponsalia per procuratorem. — 45. An sponsalia inter absentes fieri possint. — 46. De sponsalibus impuberum. — 47. An matrimonium invalidum ratione aetatis habeat in nova disciplina vim sponsalium. — 48. De qualitatibus testium in sponsalibus. — 49. — An sponsalia inita non servata forma decreti ullum producant effectum. — 50. De promissione matrimonii unilaterali. — 51. An ex dispositionibus decreti aliquid sequatur quoad dissolutionem sponsalium. — 52. Quinam veniant in decreto nomine parochi. — 53. Quinam parochus, si adhibeatur, debeat subscribere contractui sponsalitio. — 54. Parochus potestne alium delegare ad subscribendum. — 55. Quid de accessoriis sponsalium. — 56. De sponsalibus acatholicorum. — 57. Hoc decreto Ecclesia plene recedit a iurisprudentia romana de sponsalibus . . . *Pag.* 67

CAPUT SECUNDUM.

De celebratione matrimonii.

ARTICULUS I.

Conditiones requisitae ad validam celebrationem.

58. Principium generale quoad validam matrimonii celebrationem. *Pag.* 83

§ 1. — **Quinam valide assistat et intra quos limites.**

59. Curnam in decreto nulla fiat mentio Rom. Pontificis. — 60. Curnam in primis nominetur parochus. — 61. Conditiones ad hoc ut parochus vel loci ordinarius valide assistant. — 62. Quaenam suspensio excludit parochus ab assistendo. — 63. An assistat valide parochus nondum sacerdos. — 64. An parochus putativus. — 65. An legati a latere, etc. — 66. Quibusnam matrimoniis valide assistant. — 67. De parochis, qui territorium proprium non habentes utuntur territorio alterius parochi cumulative. — 68. De parochis, qui tantummodo aliquas domos habent in territorio alienae parochiae sibi subditas. — 69. De parochis exclusive positis pro quibusdam familiis aut personis. — 70. De cappellanis castrensibus. — 71. De iisdem, supposito indulto, quo haberi debeant veri parochi militum. — 72. De iisdem, suppositis quibusdam concordatis et privilegiis. — 73. Generalis regula pro militibus. — 74. De matrimonio viri non militaris coram cappellano castrensi. — 75. De rectoribus piorum locorum a parochiali iurisdictione exemptorum . . . *Pag.* 83

§ II. — **De modo assistendi ad validitatem requisito.**

76. Parochus debet assistere invitatus et rogatus, debetque raquirere et excipere consensum contrahentium, nec vi nec metu gravi adactus. — 77. Rationalitas differentiae inter antiquam et novam disciplinam. — 78. De invitatione implicita aut praesumpta aut interpretativa. — 79. De assistentia in matrimoniis mixtis. . *Pag.* 101

ARTICULUS II.

Conditiones requisitae ad licitam celebrationem.

§ I. — **De praevia status liberi probatione.**

80. Debet praeterea parocho constare de statu libero contrahentium. — 81. De exploratione sponsorum ex parte parochi. — 82. Quid importet status liber. — 83. De eo constare debet testimonio iurato. — 84. Ad hanc probationem instituendus processus. — 85. Quinam debeant interesse examini testium. — 86. Quid quoad vagos. — 87. Quaenam in hoc processu episcopi arbitrio relinquantur. — 88. Quid, transacto iam aliquo temporis spatio post factum processum. — 89. Quid in articulo mortis. — 90. Quid circa probationem status liberi pro secundis nuptiis. — 91. Quomodo habenda moralis certitudo de obitu prioris coniugis. — 92. De probatione ex coniecturis. — 93. An ex novo decreto immutatio introducta sit antiquae disciplinae . . . . . *Pag.* 104

§ II. **Quinam sit parochus, qui licite matrimonio assistit.**

94. De necessitate domicilii aut menstruae commorationis sponsorum in parochia, ut parochus licite assistat eorum matrimonio. — 95. An exinde quasi domicilium a legislatione canonica fuerit expunctum. — 96. An ordinarius licite assistat matrimoniis eorum, qui *in dioecesi,* non autem in parochia dioecesis, a mense commorantur — 97. Quid sit haec menstrua commoratio. — 98. Quid de ultima die mensis. — 99. Alia dispositio decreti quoad liceitatem. *Pag.* 114

ARTICULUS III.

De licentia assistendi ab iis habenda, qui iure proprio non assistunt.

§ 1. — **De natura huius licentiae, et a quonam ea danda sit.**

100. Praeter superius dictos ordinarie sacerdos quilibet ad assistendum eget licentia parochi vel ordinarii. — 101. Etiam parochus vel ordinarius extra limites sui territorii. — 102. An haec licentia coincidat cum licentia seu delegatione antiqui iuris. — 103. An hanc licentiam facere possit parochus excommunicatus vel suspensus. *Pag.* 121

§ II. — **De conditionibus, sub quibus haec licentia danda est.**

104. Licentia haec danda sacerdoti determinato. — 105. Et circumscripta ad limites territorii concedentis. — 106. An etiam si agatur de alio parocho aut ordinario loci. — 107. An quis ex novo decreto possit umquam assistere matrimoniis extra territorium concedentis licentiam. — 108. Quid praestare debeat assistens ex licentia. *Pag.* 125

ARTICULUS IV.

De extraordinariis casibus, de quibus agit decretum.

§ I. **De matrimonio vagorum.**

109. Praescriptiones decreti quod vagos confirmant leges tridentinas. — 110. Quinam sint vagi ex decreto. — 111. Monitio ordinariis facta. — 112. Quid in casu necessitatis . . . . . *Pag.* 128

§ II. — De matrimonio in periculo mortis.

113. De matrimonio in periculo mortis. — 114. Non agitur de mortis articulo. — 115. Quandonam dicendum parochum haberi non posse. — 116. An tunc semper coram non parocho iniri possunt nuptiae. — 117. De necessitate testium in casu . . . . . *Pag.* 131

§ III. — De matrimonio in defectu ordinarii vel parochi.

118. -- De matrimonio in defectu ordinarii vel parochi a mense. — 119. An tunc celebrari debeat coram sacerdote non delegato in loco praesente. — 120. An eadem valeant quando defectus parochi certo erit per mensem duraturus. — 122. Quid in locis, ubi parochus ex lege civili non potest assistere, non praemissa ceremonia civili. *Pag.* 135

ARTICULUS V.

De iis, quae matrimonii celebrationem sequuntur.

123. De libro matrimoniorum. — 124. De adnotatione facienda in libro quoque baptizatorum. — 125. Quibusnam haec obligatio incumbat in casibus extraordinariis. — 126. Quibus parochis haec notitia transmittenda. — 127. Quis sit parochus matrimonii . *Pag.* 139

ARTICULUS VI.

Poenae contra transgredientes statuta decreti.

128. Poenae contra violantes decretum. — 129. Parochus illicite assistens remittere debet iura stolae parocho contrahentium. — 130. Quinam is est. — 131. In casu diversi domicilii contrahentium. *Pag.* 143

ARTICULUS VII.

De extensione decreti.

132. De extensione decreti. — 133. De subiecto passivo istius legis. — 134. Catholici orientales generatim non tenentur forma substantiali. — 135. De matrimonio catholicis orientalis cum catholica latina. —

136. Quando pars orientalis ad nullam formam ligatur; quando ex exceptione ligatur ad formam tridentinam. — 137. Quid si pars latina catholica contrahat cum orientali acatholica. — 138. Ratio cur lex liget catholicos et eos, qui catholici semel fuerunt. — 139. Decretum abolevit principium de individuitate contractus. — 140. Acatholici, si inter se contrahant, nullibi ligantur forma substantiali. — 131. Exceptio ex decreto. — 142. An comprehendat regiones, quae regebantur declaratione Benedictina. — 143. Aut quibus concessa fuerat exemptio a lege tridentina. — 144. Exceptio pertinet unice ad Imperium Germanicum. — 145. De matrimoniis, quae ibidem clandestine contrahuntur a catholicis cum haereticis aut schismaticis. — 146. An in Germania vigeat adhuc principium de individuitate contractus. — 147. Corollarium. — 148. De iis, qui catholici fuerunt, et contrahunt cum parte haeretica. — 149. De catholico, qui non est ex Imperio Germanico, et contrahit cum haeretica in ipsa Germania. — 150. De haeretico, qui est ex Imperio Germanico et contrahit cum catholica extra Imperium . . *Pag.* 145

De clausulis decreti.

151. Decretum est lex pontificia. — 152. Eius promulgatio facta est per transmissionem ad ordinarios. — 153. Lex haec vacat usque ad diem Paschatis Resurretionis D. N. I. Ch. huius anni 1908. — 154. Ordinarii debent curare ut decretum hoc in vulgus edatur et populo explicetur . . . . . *Pag.* 166

APPENDIX.

S. C. C. - Romana et aliorum dubiorum circa decretum de sponsalibus et matrimonio . . . . . *Pag.* 171

PRO BIBLIOGRAPHIA

Relicta recensione auctorum, qui de forma celebrationis sponsalium et matrimonii loquuntur iuxta disciplinam antetridentinam et tridentinam, inter quos principem et fere exclusivum locum tenent interpretes iuris decretalium Concilio tridentino posteriores, nec non ii omnes, qui de matrimonio specialia opera conscripserunt, et moralistae omnes, quando de impedimento clandestinitatis agunt, iuverit hic enumerare recentes commentarios in decretum « Ne temere », quorum notitia hucusque ad me pervenit.

Gennari Card. Casimiro. — Breve commento della nuova legge sugli sponsali e sul matrimonio, [4] Roma, 1908.

Vermeersch Arthurus S. I. — De forma sponsalium ac matrimonii post decretum « Ne temere » 2 aug. 1907, [4] Brugis, 1908.

Leitner Martin. — Die Verlobungs- und Eheschliessungsform nach dem Dekrete « Ne temere », [4] Regensburg, 1908.

Boudinhon A. — Le mariage et les fiançailles; nouvelle législation canonique ; commentaire du décret « Ne temere », [4] Paris, 1907.

Knecht August. — Die neuen eherechtlichen Dekrete « Ne temere » vom 2 August 1907 und « Provida » vom 18 Januar 1906, [2] Köln, 1908.

Cronin Charles J. — The new matrimonial legislation, a commentary on the Decree of the Sacred Congregation of the Council « Ne temere », published on the 2nd of August 1907, by order of Pope Pius X, on Betrothal and Marriage, 1908.

Haring Johann B. — Das neue Ehedecret « Ne temere », eine Gegenüberstellung der alter und neuen kirchlichen Eheschliessungsform, Graz, 1907.

Trenta Emidio. — La nuova disciplina sulla celebrazione degli sponsali e del matrimonio, ossia il decreto « Ne temere » della S. C. del Concilio brevemente commentato, Ascoli Piceno, 1907.

Ferreres Juan B. S. I. — Los esponsales y el matrimonio según la novísima disciplina; commentario canónico-moral sobre el decreto « Ne temere », ² Barcelona, 1908.

Alberti Josephus. — Commentarium in recens decretum S. C. Concilii de sponsalibus et matrimonio, Romae, 1908.

Besson Jules S. I. — De la publicité des françailles et du mariage (in Nouvelle Revue théologique, tom. 39,1907, pag. 608 sqq.).

Arendt Guillelmus S. I. — Analysis theologico-canonica decreti « Ne temere » de sponsalibus et matrimonio (in Analecta ecclesiastica, anno 16°, 1908, pag. 30 sqq.).

LECTORI

Miraberis forte, humanissime lector, me post tot commentarios in decretum « Ne temere » S. Congregationis Concilii, quo matrimonialis disciplina quoad formam substantialem servandam in celebratione matrimonii non paucas subiit mutationes, ab auctoribus scientia et ingenio eximiis conscriptos, novissime hunc alium commentarium publici iuris fieri iubere. Nolim id adscribas superbo animo et in alios fastidioso nimis, quasi existimem me prae aliis melius quid facturum. Hunc commentarium conscripseram, quando alii nondum publici iuris facti fuerant, vel de hoc ipso nondum certior fueram factus. Quum iam operi manum admovissem pervenit ad me eximius commentarius emi card. Casimiri Gennari; postea dum opusculum typis ederetur, alii successerunt praeclarissimorum auctorum commentarii.

Horum omnium rationem habui in quantum licuit. Hunc autem commentarium prius edere variis de causis prohibitus sum; quem quidem laborem meum frustra inivisse non placuit, quum etiam alicuius utilitatis eum futurum sperare liceat.

Commentario conscripto addere visum est id quoque, quod ad formam servandam in celebratione matrimonii ex iure tridentino constituta erant. Ea enim per multum adhuc temporis inservient ad dirimendas causas, quae ratione clandestinitatis contra valorem matrimonii moveri poterunt. Ex mea Synopsi rerum moralium et iuris pontificii haec fere descripsi. His autem brevem conspectum iuris quoque antetridentini quoad hoc adiunxi.

Habes hic proinde ea omnia, quae ad formam celebrationis sponsalium et matrimonii iure tum antiquo tum novissimo pertinent.

Ea benigno animo accipias, precor.

PARS PRIMA

DE IURE VETERI SEU ANTEPIANO

CAPUT PRIMUM

De celebratione sponsalium

1. De iure antetridentino nulla forma requiritur pro valida sponsalium celebratione. — 2. Et etiam de iure tridentino. — 3. Duae immutationes ultimis hisce temporibus ; quoad Hispaniam; quoad Americam latinam. — 4. Nonnulli episcopi immutationes iuris communis quoad hoc postularunt.

1. *De iure antetridentino nullam formam requiri pro valida sponsalium celebratione* omnes admittunt, nemine contradicente; quamvis saepe ex more introducto ipsis adderetur iuramentum seu quaedam fidei datio, [1] et ecclesia suaderet fidelibus, ut ea contraherent in facie ecclesiae seu coram sacerdote et probabiliter coram parocho. [2] In ecclesia orientali nunc quoque in usu est quaedam benedictio sponsalium, et parochi orientales

[1] Esmein, *Etudes sur les contrats dans le très ancien droit français p. 105 suiv.:* Esmein, *Le mariage en droit canonique, I. pag. 149.*

[2] *Reg. de Cerisy n. 60 b., 68, 397 b apud* Esmein *op. cit. Le mariage. loc. cit. in nota.*

iubentur suos habere sponsalium libros [1]. Antiqua quaedam ritualia belgica, ex. gr. mechliniense et cameracense, quae citat Van Espen [2], volunt ut sponsalia coram parocho celebrentur. Hoc idem synodi etiam recentiores cupere se non semel protestatae sunt [3].

2. *De iure tridentino etiam nulla forma requiritur.* Quidam tamen fuerunt, quorum meminit Sanchez [4], qui dicerent, sponsalia in locis decreto tridentino « Tametsi » subiectis non contracta in facie ecclesiae, idest contracta iuxta ipsos sine parocho et testibus post idem Concilium fore illicita et invalida. Horum ratio in eo innitebatur, quod Concilium tridentinum eo ipso quod irritaverat matrimonium contractum sine praesentia parochi et testium, censendum erat irritasse sponsalia, quae via sunt ad matrimonium, quaeque proinde eodem modo regi decet ac regitur matrimonium. Hanc sententiam, quam rigidiores isti canonistae sine sufficienti ratione defenderunt, alii, inter quos Paludanus, Silvester et Caietanus, ex parte tantum receperunt, defendentes sponsalia non inita in facie ecclesiae fore quidem valida sed illicita. Sed generatim canonistae defenderunt validitatem simul et liceitatem horum sponsalium. Quae communis sententia quoad validitatem fundatur in expressa declaratione S. Congr. Concilii a. 1573, qua dictum est: « Censuit (S. Congregatio), Concilium tridentinum sess. XXIV c. 1. de ref. matr. decrevisse tantum, matrimonia per verba de praesenti clandestine contracta irrita et nulla esse; sponsalia autem per verba de futuro contracta reliquisse in illis terminis iuris, quibus erant ante Concilium ». Et hanc eamdem declarationem non semel postea iteravit eadem S. Congregatio [5]. Porro vidimus ex iure antetri-

[1] Cfr. *Syn. Sciarfensem a. 1888 p. 162 seqq.*; Zhishman, *Das Eherecht der oriental. Kirche;* Wernz, *Ius Decr. IV, 99.*

[2] *Ius eccl. p. II tit. 12 c. 1. n. 4 sqq.*

[3] Cfr. *Syn. Ravennat. 1855 p. 2. c. 8 n. 3.*

[4] *De matr. lib. I. d. 12. n. 1.*

[5] Cfr. Ben. xiv *Instr. XLVI. n. 12.*

dentino sponsalia non contracta in facie ecclesiae valida fuisse, imo etiam licita, quia, quamvis ecclesia fidelibus suaderet ut ea publice inirent in facie ecclesiae, probari tamen non potest idipsum eam fidelibus praescripsisse. Nec valet ratio allata a prioribus doctoribus, de quibus dicebamus, argumentantibus a matrimonio ad sponsalia, quum, etiamsi sponsalia via sint ad matrimonium, longe tamen ab eo differunt natura et effectibus.

3. *Exceptiones duas passa est hisce ultimis temporibus* haec carentia formae alicuius substantialis, quae viguit ante et post tridentinum hucusque de regula generali. Hae duae exceptiones respiciunt *Hispaniam et Americam latinam*. In Hispania enim a Carolo IV, ineunte seculo 19.° (28 apr. 1804), introducta est forma publica ineundi sponsalia, quae scilicet nulla habenda erant nisi inirentur publico instrumento a notario confecto; quae quidem forma, ut patet, ab initio ex defectu competentis auctoritatis in legislatore nulliter introducta est, sed postea ex consuetudine vim suam accepit, quemadmodum testata est S. Congregatio Concilii, quae die 31 ian. 1880 in Placentina ad dubia: « An sponsalia, quae in Hispania contrahuntur absque publica scriptura, sint valida; et quatenus negative; 2°. An publicam scripturam supplere queat instrumentum in curia conflatum pro dispensatione super aliquo impedimento », respondit: « Ad 1.um et 2.um negative ». Et in hunc eumdem sensum eadem S. Congregatio respondit in Compostellana 11 apr. 1891. Quoad Americam vero latinam notandum est ad eam ius hispanicum extensum fuisse in perpetuum ex decreto S. C. Neg. Eccl. Extr. 1. ian. 1900. Quum autem post hoc decretum dubia exorta essent, num videlicet invaliditas haec utrumque forum respiceret, an tantum externum forum, eadem S. Congregatio 5 nov. 1901 respondit, sponsalia aliter celebrata invalida esse etiam in foro interno.

4. *Non defuerunt tamen*[1] *petitiones nonnullorum episcoporum*, qui tum post introductionem iuris specialis hispanici, tum ante eam rogaverint S. Sedem, ut nulla et invalida auctoritate sua in posterum faceret ea sponsalia, quae non fuissent in determinata quadam forma inita. Attamen S. Sedes putavit talibus petionibus non esse indulgendum. S. Congregatio Concilii 26 ian. 1715 negative respondit arch. Bracarensi; Benedictus XIV 19 iul. 1755 arch. Coloniensi, idem responsum tulit a. 1789 episcopus Lausanensis; iuxta eadem principia Card. Consalvi 16 oct. 1817 nomine Pii VII decreta Wessemberg administratoris dioecesis Constantiensis publicata a. 1804, quibus is praescripserat substantialem formam servandam in sponsalibus contrahendis, nulla et irrita declaravit; archiepiscopus Quebecensis a S. Officio 11 aug. 1852 responsum retulit: « Curet archiepiscopus prudentiori modo sibi beneviso gregem suum docere de valore sponsalium quacumque forma contrahantur, necnon de impedimento dirimente iustitiae publicae honestatis, quod sponsalia valida producunt »; eodem pariter modo responsum fuit 24 nov. 1867 a S. Poenitentiaria cuidam petitioni ipsi factae[2].

Ex dictis patet, iure antetridentino et tridentino sponsalia, quemadmodum diximus, etiam sine ulla forma inita, licita et valida esse, nec potuisse episcopos invalida declarare haec sponsalia sine forma celebrata, aut iure dicere[3] ea parere quidem obligationem in conscientia, sed non impedimentum publicae honestatis[4].

[1] Cfr. De Angelis, *IV. 1. 3. etc.*
[2] Cfr. De Angelis, *loc. cit.;* Feije, *de imp. et disp. matr. n. 558.*
[3] Cfr. *Instruction du rituel de Blois 2. p. pag. 126.*
[4] Cfr. Ben. XIV *de Syn. lib. XII c. 5 et Inst. XLVI.*

CAPUT SECUNDUM

De celebratione matrimonii iure antepiano

ARTICULUS I.

De celebratione matrimonii iure antetridentino

5. Ecclesia semper improbavit et prohibuit matrimonia clandestina; praecepit celebrationem matrimonii in facie ecclesiae et exquisivit populi testimonium de habilitate sponsorum ad nuptias; publica nuntiatio matrimonii in ecclesia facta. — 6. Lex lateranensis mansit usque ad Conc. Tridentinum, imo alicubi etiam post Tridentinum. — 7. Innuitur nova forma a Tridentino praescripta.

5. *Matrimonia clandestina improbavit et prohibuit Ecclesia* iam inde ab antiquioribus temporibus. Mens enim semper ecclesiae fuit, ut fideles, qui matrimonium inire exoptabant, ecclesiasticae ipsi auctoritati consilium suum aperirent et illud ei submitterent; nec solum, sed et praeterea ut matrimonium ab ecclesiastica auctoritate approbatum publice inirent servantes mores cuiuscumque regionis, illudque sacerdotali benedictione donare et quodammodo facerent consecrare. Sufficiat hic in memoriam referre ea, quae Ignatius martyr ipsis primis annis secundi seculi vel etiam ultimis primi scripsit ad Polycarpum [1], eaque, quae Tertullianus habet in libro de mono-

[1] " Decet vero ut sponsi et sponsae *de sententia episcopi* coniugium faciant » *c. 5 in ep. ad Polycarpum.*

gamia c. II [1], in libro de pudicitia c. 4 [2], et in libro secundo ad uxorem c. 9 [3]. Attamen his saluberrimis ecclesiae monitis non semper a fidelibus obtemperatum fuit. De hoc queritur iam Ionas Aurelianensis seculo nono [4]. Disciplina tamen ecclesiae semper eadem mansit, ut scilicet fideles matrimonia sua inire deberent cum nuptiali benedictione et consuetis solemnitatibus coram sacerdote [5]. Et iure hoc voluit semper ecclesia, non solum quia matrimonium inter fideles sacramentum est, sed etiam quia, praescindendo etiam ab eius sacramentalitate, matrimonium non est aliquid omnino privatum et individuale, sed est aliquid sociale, quod maximi interest societatis christianae, quae ratione ipsius boni communis et socialis necesse habet uniones matrimoniales saltem cognoscere, ut evitentur in societate christiana quamplurima incommoda, quorum non ultimum esset profecto cohabitatio inter personas solutas vel pro talibus habitas. Hinc in facie ecclesiae coniugia, ut dictum est, iniri consuevit. Confer Benedictum Levitam VII 179 [6]. Hinc tempore aevi medii generalis fuit consuetudo

[1] " Et coniungant vos (episcopus, presbyteri, diaconi) in ecclesia virgine unius Christi sponsa „.

[2] " Apud nos occultae quoque coniunctiones, idest non prius apud ecclesiam professae, iuxta moechiam et fornicationem iudicari periclitantur „.

[3] " Unde sufficiamus ad enarrandam felicitatem eius matrimonii, quod ecclesia conciliat et confirmat oblatio et obsignat benedictio, angeli renuntiant, Pater rato habet „.

[4] In suo tractatu de istitutione laicali II. 2 (*M. P. L. t. 106 c. 171)* dicit: "Damnanda consuetudo inolevit ut perraro sponsus et sponsa in missarum celebratione secundum praemissum ordinem benedicantur „.

[5] Cfr. Benedictum Levit., *VII. 179*; Hostiensem, *Summa in tit. de m'tr. p. 344, 356*; Panormitanum, *in c. 28 de sponsal. etc. X. (IV. 1)*.

[6] " Sed prius conveniendus est sacerdos, in cuius parochia nuptiae fieri debent, in ecclesia coram populo. Et ibi inquirere una cum populo ipse sacerdos debet, si eius propinqua sit vel non, aut alterius uxor, alii sponsa vel adultera. Et si licita et honesta omnia pariter invenerit, tunc per consilium et benedictionem sacerdotis et consultu aliorum bonorum hominum eam sponsare et legitime dotare debet... Sed postquam

ut sponsi ad ianuam ecclesiae venirent ibique ante valvas idest ante fores ecclesiae ipsis benediceretur [1]. Exinde factum est ut paullatim in aliquibus locis, praesertim in ecclesia gallicana, introduceretur systema aliquod aequivalens et magis perfectum. Loco harum interrogationum, quae immediate ante matrimonium a sacerdote sponsis fieri debebant, invectum est ut sponsi curarent, matrimonium, quod volebant contrahere, publice in ecclesia a sacerdote fidelibus nuntiari [2]. Ita exquirebatur populi testimonium de absoluta et relativa habilitate sponsorum ad nuptias.

Haec publica nuntiatio matrimonii in ecclesia facta banna vocata sunt [3]. Mos iste primitus particularis et restrictus, postea magis ampliatus [4], tandem sub Innocentio III in Concilio Lateranesi IV evectus est ad vim legis universalis [5]. Non sine difficultate factum est ut

ista omnia probata fuerint et nihil impedierit, tunc, si virgo fuit, cum benedictione sacerdotis, sicut in sacramentario continetur, et cum consilio bonorum hominum publice et non occulte ducenda est uxor „. Cfr. etiam Panormitanum, *loc. sup. cit.*

[1] Panormitanus, *loc. supra cit.:* Esmein, *Le mariage en droit canonique I. c. 2. VI.*

[2] Quod ab Odone de Soliaco episcopo Parisiensi circa a. 1198 introductum videtur.

[3] Banna idest publicum edictum. Cfr. Du Cange, *Glossarium v. Bannum, Bannus.* Haec vox bannorum occurrit etiam in cap. 27 de spons. et matr. X. (IV. 1) et in c. 6 de iis qui matr. acc. etc. X. (IV.18), quae sunt partes epistolae Innocentii III ad episcopum Belvacensem.

[4] Cfr. can. 11. Syn. Londinensis a. 1200 prohibentis ne quis nuptias celebret, nisi praecesserit trina et publica denuntiatio. Cfr. Werns, *Ius Decr. IV. 135.*

[5] Decretum Conc. Lat. IV (1215) cap. 51 = *c. 3 de clandest. desp. X. (IV. 3)* his verbis continetur: « Quare specialem quorumdam locorum consuetudinem ad alia generaliter prorogando, statuimus, ut, quum matrimonia fuerint contrahenda, in ecclesiis per presbyteros publicepro ponantur, competenti termino praefinito: ut inter illum, qui voluerit et valuerit, legitimum impedimentum apponat, et ipsi presbyteri nihilominus investigent utrum aliquod impedimentum obsistat. Quum autem apparuerit probabilis coniectura contra copulam contrahendam, contractus interdicatur expresse, donec quid fieri debeat super eo, manifestis constiterit documentis „.

lex lateranensis generaliter introduceretur et claram acciperet a iurisprudentia ecclesiastica interpretationem [1].

6. *Lex haec lateranensis mansit usque ad Concilium tridentinum*, imo etiam *post Concilium tridentinum* suum integrum valorem habuit et habet in locis, ubi lex tridentina non obtinuit; ubi autem obtinuit, certiorem determinationem et mitigationem quamdam recepit ex facultate episcopis facta dispensandi in hac lege bannorum [2]. Imo *lex lateranensis etiam nunc viget* in ipsis terminis, quibus antea vigebat, quum novum decretum « Ne temere » nihil de bannis praescripserit, sed rem totam prout antea reliquerit. Ex dictis patet, matrimonia, quae a fidelibus contraherentur, inscia ecclesia, seu auctoritate ecclesiastica, illicita semper fuisse; sed an simul fuerunt invalida? Huic quaestioni respondet iam Benedictus XIV [3] his verbis: « Haec aliaque huius generis multa (quae scilicet immediate praecedunt), a viris eruditis congesta, probant quidem, semper ab ecclesia vetita clandestina coniugia; sed num ante Tridentinum fuerint insuper ullo umquam tempore etiam irrita, quaestio est, de qua secum contenderunt eiusdem Concilii tridentini Patres, uti videre est apud Card. Pallavicinum in hist. trid. lib. XXII c. 4. Etenim, quum plerique Patrum abnuerent enuntiato decreto cap. 1. sess. XXIV, eo quod absonum reputarent, tunc primum irrita decerni matrimonia aliter quam coram parocho celebrata, quae etsi semper ecclesia esset detestata, numquam tamen antea firmitate carere voluerat; alii, qui pro decreto stabant, illis opposuerunt modo a nobis allegatas vetustissimas ecclesiae sanctiones, quibus sacerdotalem benedictionem praescriptam contendebant non solum ad cohonestanda, verum etiam ad firmanda christianorum coniugia... Ex

[1] Cfr. Hostiensem, *in Summa loc. cit. p. 354;* Panormitanum, *in cap. 3 de clandestina despons. X. (IV. 3) n. 6;* Esmein, *loc. cit.*

[2] Esmein, *loc. cit. II. c. 3. III.*

[3] *De Synodo dioec. lib.. VIII. c. 12 n. 4*

quibus omnibus praedicti tridentini Patres, qui decretum urgebant, quo irrita fierent matrimonia clandestina, nihil per illud novi decerni concludebant, sed antiquas tantum ecclesiae leges instaurari, quas, aliquot dumtaxat ante tridentinum seculis, sola contraria consuetudo abrogaverat. Verum alii theologi et Patres, qui decreto obsistebant, non satis constare affirmabant, sacerdotalem benedictionem fuisse ullo umquam tempore necessariam ad vires imperliendas christianorum connubiis... Haec in utramque partem a tridentinis theologis et Patribus versata sunt et tandem deliberatum, ut matrimonia clandestina sive ullo umquam tempore fuerint antea invalida, sive non, quod dubium profecto atque incertum remansit, ad ea nihilominus praecavenda gravissima mala, quae in animarum perniciem ac totius christianae reipublicae perturbationem ex illis obveniebant, et quibus experientia docente haud satis occurrere poterat sola eorumdem prohibitio a Conc. Lat. IV sub Innocentio III in cap. « Quum inhibitio » de clandestina despons. renovata, deliberatum (inquam) est, ut invalida in posterum decernerentur; quod re ipsa factum legimus per saepius laudatum saluberrimum decretum sess. XXIV c. 1. de reform. matr. » [1]. Haec quidem Benedictus XIV

[1] Quoad ecclesiam orientalem sequentia nota. In constitutionibus Nicephori Cplit. (sec. IX) et sanctorum cum eo Patrum (apud Pitra *Iuris eccl. Graecorum hist. et mon., Romae 1868, tom. 2. pag. 346*) habetur sequens quaestio sub num. 199: " Famulos et famulas ab eorum dominis matrimonio iunctos sine sacerdotis benedictione, an iuris est recipere in liturgiae oblationem et communionem? Resp. Coniunctio sine sacerdotali benedictione est fornicatio, sive servus sive liber sit; et sicut minime ad oblationem donorum, ita neque etiam in Dei domum fornicarii recipiuntur. Iubet autem divinus Apostolus ne minima quidem carne eorum utendum esse neque cum eis commisceri „. In Instructione autem S. Congr. de Prop. Fide ad Epp. Graeco-Rumenos a. 1858 haec habentur *(Coll. P. F. Romae 1907 tom. I. n. 1154):* " Nunc vero ut ad ea veniamus, quae de orientalis ecclesiae doctrina circa benedictionem sacerdotalem (in matrimoniis) retulistis, notum profecto est eamdem ecclesiam non minus quam occidentalem, inde ab origine christiani nominis, in celebrandis fidelium nuptiis, utpote novae legis sacramento, sacros

circa statum istius quaestionis aetate tridentina et sua; quae quaestio ex tempore Benedicti XIV non multum inclaruit, quum postea eruditi viri pauca tantum nova

ritus sacerdotumque benedictiones adhibuisse, simulque omnibus severissime interdixisse, ne, illis praetermissis seu neglectis, coniugale foedus conciliare auderent. Quod autem matrimonia contra communem ecclesiae usum inita non solum pro illicitis sed etiam pro irritis habita fuerint, ex ecclesiasticis orientis documentis demonstrari nequit. Equidem nullum cognovimus antiquae eiusdem ecclesiae Patris effatum, nullum conciliorum canonem, quo illud expressis ac indubiis verbis declaratum fuisse appareat. Porro..... Immo ex ipsius Balsamonis scholiis ad canones S. Basilii 37, 38, 40, patet antiquitus reputatum fuisse nuptias solo contrahentium consensu perfici. Hinc, persuasio illa de sacerdotalis benedictionis necessitate posterioribus temporibus orta esse videtur; quod nec difficulter explicari potest. Constat enim Leonem Philosophum Imperatorem nono seculo legem tulisse (inter Novellas 89), cuius titulus est *ne matrimonia citra sacram benedictionem firma habeantur*, et in qua iussit eadem *sacrae benedictionis testimonio confirmari*. Viri autem docti demonstrant..... Huiusmodi vero Leonis Imperatoris sanctio, utpote a civili potestate lata, nec ecclesiasticas leges mutare, neque dirimens matrimonii impedimentum inducere potuit. Tota ipsius vis ad civiles tantummodo matrimonii effectus referenda erat. Attamen plurimi orientales, qui tum canones, tum Imperatorum leges collegerunt atque interpretati sunt, eamdem sanctionem seu legem, sicut et aliam posteriorem ab Alexio Comneno publicatam, in suas collectiones retulerunt. Minime autem mirandum est, quod ipsa sanctio seu lex ad sacramentalem etiam matrimonii naturam deinceps fuerit applicata; quum neminem, qui ecclesiastici iuris historiam apud graecos noverit, lateat imperatoris sanctionibus in orientali ecclesia, maxime postquam diro schismate ab unitate avulsa fuit, parem, imo et maiorem quam sacris canonibus attributam fuisse auctoritatem. Hinc sententia, quae matrimonia absque sacerdotis benedictione inita pro invalidis habet, in hominum animis eo facilius praevaluit, quo magis illorum intererat, ut nuptiae eo modo celebrarentur, qui ad consequendos civiles earumdem effectus omnino requireretur „. In Euchiridion autem iuris ecclesiae orientalis catholicae auctore Iosepho Papp-Szilàgyi, M. Varadini, 1862, pag. 410 haec habentur: " Dicitur denique matrimonium coniunctio maritalis ex sententia ecclesiae perfecta; iam enim S. Ignatius martyr monuit, coniugia fieri ex sententia ecclesiae, ut nuptiae sint secundum Deum et non secundum concupiscentiam. Sive illa tantum coniugia sunt Dei voluntate et coniunctione inita, quae probat ecclesia, cuius est conditiones digne et valide suscipiendi sacramenti defigere. Quamvis autem coniugia a sacerdote non benedicta, non contracta videlicet coram parocho ac testibus, sint pror-

ad eam declarandam attulerint [1]. Ceterum, ut iam patet ex iis ipsis, quae attulimus ex Benedicto XIV, assentiendum omnino est Gasparri [2] dicenti: « omnibus indubium esse debet et est, saltem tempore Concilii tridentini, et aliquot ante seculis, idest iure decretalium, huiusmodi matrimonia (clandestina) fuisse valida, tum in interno tum in externo foro, dummodo de illis constaret per legitimas probationes (scilicet hoc pro externo foro), prouti modo valida sunt in locis, in quibus decretum tridentinum non viget ».

7. *Nova per Concilium tridentinum disciplina introducta est.* Concilium enim tridentinum voluit et statuit ut ultra formam externam, quae ex ipsa rei natura exigitur, declarationis scilicet mutuae interni consensus, *forma etiam quaedam accidentalis* quoad modum istius declarationis faciendae, non ad honestatem tantum et probationem, sed ad ipsam contractus *validitatem* necessaria esset; quae proinde *forma, accidentalis* relate ad externam manifestationem consensus, *substantialis* evasit relate ad constitutionem contractus matrimonialis. De qua tridentina disciplina mox statim.

sus prohibita atque illicita, tamen, ubi non viget Concilii tridentini decretum " Tametsi, „ huiusmodi matrimonia, quae vulgo clandestina dicuntur, iuxta ecclesiam declarationem valida censeri debent „.

[1] Cfr. Freisen, *Geschichte des canonischen Eherechts bis zum Verfall der Glossenlitteratur, Paderborn, 1893, pag. 138 sqq.;* Wernz, *Ius Decr. IV. 151 sqq.;* Gasparri, *de matrimonio II. 1028 sqq.*

[2] *Loc. cit. II. 1031,*

ARTICULUS SECUNDUS.

De legitima celebratione matrimonii iure tridentino.

CONCILII TRIDENTINI SESS. XXIV. C. I. DE REF. MATR.

« Tametsi dubitandum non est, clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse matrimonia, quamdiu ecclesia ea irrita non fecit, et proinde iure damnandi sunt illi, ut eos sancta synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negant, quique falso affirmant, matrimonia a filiisfamilias sine consensu parentum contracta irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse: nihilominus sancta Dei ecclesia ex iustissimis causis illa semper detestata est atque prohibuit. Verum, quum sancta synodus animadvertat, prohibitiones illas propter hominum inobedientiam iam non prodesse, et gravia peccata perpendat, quae ex eisdem clandestinis coniugiis ortum habent, praesertim vero eorum, qui in statu damnationis permanent, dum, priore uxore, cum qua clam contraxerant, relicta, cum alia palam contrahunt et cum ea in perpetuo adulterio vivunt, cui malo, quum ab ecclesia, quae de occultis non iudicat, succurri non possit, nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur, idcirco sacri Lateranensis Concilii sub Innocentio III celebrati vestigiis inhaerendo praecipit, ut in posterum, antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parocho tribus continuis diebus festivis in ecclesia inter missarum solemnia publice denuncietur, inter quos matrimonium sit contrahendum; quibus denunciationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie ecclesiae procedatur, ubi parochus, viro et muliere interrogatis et eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat: Ego vos in matrimonium coniungo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, vel aliis utatur verbis, iuxta receptum uniuscuiusque provinciae ritum. Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiose impediri posse, si tot praecesserint denunciationes, tunc vel una tantum denunciato fiat, vel saltem parocho et duobus vel tribus testibus praesentibus matrimonium celebretur. Deinde ante illius consummationem denunciationes in ecclesia fiant, ut, si

aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur, nisi ordinarius ipse expedire iudicaverit, ut praedictae denunciationes remittantur, quod illius prudentiae et iudicio sancta synodus relinquit. *Qui aliter, quam praesente parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi seu ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et huiusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos praesenti decreto irritos facit et annullat.* Insuper parochum vel alium sacerdotem, qui cum minore numero testium, et testes, qui sine parocho vel sacerdote huiusmodi contractui interfuerint, nec non ipsos contrahentes graviter arbitrio ordinarii puniri praecipit. Praeterea eadem sancta synodus hortatur, ut coniuges ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam in eadem domo non cohabitent, statuitque benedictionem a proprio parocho fieri, neque a quoquam, nisi ab ipso parocho vel ordinario licentiam ad praedictam benedictionem faciendam alii sacerdoti concedi posse; quacumque consuetudine, etiam immemorabili, quae potius corruptela dicenda est, vel privilegio non obstante. Quod si quis parochus vel alius sacerdos, sive regularis sive secularis sit, etiam si id sibi ex privilegio vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiae sponsos sine illorum parochi licentia matrimonio coniungere aut benedicere ausus fuerit, ipso iure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab ordinario eius parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur. Habeat parochus librum, in quo coniugum et testium nomina, diemque et locum contracti matrimonii describat, quem diligenter apud se custodiat. Postremo sancta synodus coniuges hortatur, ut antequam contrahant, vel saltem triduo ante matrimonii consummationem sua peccata diligenter confiteantur, et ad sanctissimum eucharistiae sacramentum pie accedant. Si quae provinciae aliis ultra praedictas laudabilibus consuetudinibus et ceremoniis hac in re utuntur, eas omnino retineri sancta synodus vehementer optat. Ne vero haec tam salubria praecepta quemquam lateant, ordinariis omnibus praecipit, ut, quam primum potuerint, curent hoc decretum populo publicari ac explicari in singulis suarum dioecesum parochialibus ecclesiis; idque in primo anno quam saepissime fiat, deinde vero quoties expedire viderint. Decernit insuper, ut huiusmodi de-

cretum in unaquaque parochia suum robur post triginta dies habere incipiat, a die primae publicationis in eadem parochia factae numerandos ».

§ I. — De natura et sequelis clandestinitatis.

8. Matrimonium clandestinum invalidum, nisi certa forma servetur. — 9. Et nec sponsalium quidem vim habet.

8. *Matrimonium clandestinum* [1] *invalidum evadit* post Concilium tridentinum, quum ante hoc tempus, ut vidimus, illicitum tantummodo erat. Ab hac invaliditate, quemadmodum est in omnibus legibus irritantibus, non excusat ignorantia, etsi invincibilis, quamvis a peccato ea excuset. Invaliditas autem haec viget et locum habet in iis tantum locis, in quibus promulgatum est decretum superius descriptum, quo statuitur, matrimonium celebrandum esse coram parocho (non autem necessario in parochia, quare parochus ubique potest ex tridentino sine alterius licentia assistere matrimoniis suorum fidelium) et duobus saltem testibus (et haec parochi et testium praesentia debet esse non successiva, sed simultanea), indirecte irritando actum sine tali forma gestum [2].

9. *Ne sponsalium quidem vim habet,* iuxta hanc disciplinam tridentinam, matrimonium clandestinum iis in locis, ubi decretum « Tametsi » publicatum est. Quod patet

[1] Matrimonium clandestinum multiplici sensu dicitur. Olim significabat matrimonium contractum absque praesentia cuiuscumque testis, quod igitur probari in iudicio non poterat; vel etiam initum absque solemnitatibus praescriptis, quod tamen ita contractum erat, ut probari posset: post Concilium lateranense improprie dictum est clandestinum matrimonium, quod initur in facie ecclesiae, sed omissis proclamationibus, et est validum, sed illicitum. — Proprie matrimonium clandestinum dicitur, quum initur sine interventione auctoritatis ecclesiasticae, omissis proclamationibus atque forma publica in facie ecclesiae. Cfr. *S. C. C. a. 1587. in causa Hieracen.*

[2] Suarez, *de leg. l. V. c. 19. n. 4.*

tum ex ipsa rei natura, quia consensus, qui in matrimonio exprimitur, est de praesenti et non de futuro, quare nullo modo ibi haberi potest contractus sponsalitius; tum ex pluribus decisionibus sacrae Congregationis Concilii [1]. Nec obstat quod matrimonium attentatum impuberum habeat vim sponsalium, quia illud est ex expressa iuris constitutione.

§ II. — Quae requiruntur ut decretum tridentinum vim suam exserat.

10. Debet publicari in unaquaque parochia. — 11. Tamquam decretum Concilii. — 12. Ac publicari et explicari populo. — 13. Publicari autem debet ab ordinario vel de eius mandato. — 14. Quoad tempus publicationis nihil statutum. — 15. Lex haec tridentina vacat per triginta dies a promulgatione. — 16. Publicari potest pro quibusdam tantum personis. — 17. De facto diuturnae observantiae. — 18. Quod tamen constare debet certis et evidentibus argumentis. — 19. Desuetudine decretum tridentinum potest abrogari. — 20. Et a legitima auctoritate restringi ad quasdam personas. — 21. Vis decreti personalis et localis. — 22. Ab ea excusat impotentia habendi parochum vel episcopum. — 23. Alicubi decretum publicatum fuit ex parte. — 24. Dubitatur num in aliquibus locis fuerit publicatum.

10. *In unaquaque parochia publicari* debet hoc decretum « Tametsi » iure tridentino, ut vim habeat: in unaquaque parochia, inquam, scilicet non in omnibus ecclesiis illius parochiae, si plures ecclesiae in ea adsint, verum in una ecclesia parochiali [2].

Quid si publicatum fuerit in territorio parochiae, sed in ecclesia non parochiali? Et Gasparri [3] dicit, hunc modum publicationis fore valde absonum, et fortasse nul-

[1] Cfr. *S. C. C. in Bisuntina mens. mart. 1587, 8 iul. 1592*, etc.; Ben. XIV, *Inst. eccl. XLVI, n. 22.*

[2] Cfr. *respons. S. C. P. F. ad vic. ap. Tunkinen. 7 iul. 1760.*

[3] *De matrimonio II. 1055.*

lum, quum Concilium velit decretum publicandum in singulis parochialibus ecclesiis.

Ecclesia autem parochialis hic largiori quodam sensu, et non stricto sensu canonico sumenda est. Videlicet ad validam promulgationem non est necesse, ut fiat in parochia quadam canonice erecta, sed sufficit, si districtus vel missio, quamvis non sit parochia canonice erecta, regatur tamen ad modum parochiae, ita ut fideles in certa aliqua ecclesia, et a certo sacerdote apud ecclesiam commorante vel aliunde veniente, debeant communionem paschalem sumere ceteraque sacramenta recipere [1]. At, si parochialitatis ratio ibidem omnino non exsistit, sed habentur tantummodo communitates christianorum, qui aliquando ab uno vel ab alio missionario visitantur, et neminem habent, qui cum ipsis munus parochi seu proprii sacerdotis expleat, tunc decretum Concilii tridentini publicari non potest [2].

Quum autem in aliqua parochia Concilii decretum publicatum est, si postea in territorio eiusdem parochiae novum quoddam oppidum exstruatur, et novi incolae accedant, non est necessaria nova publicatio; at, si non solum novi accedant populi et incolae, sed et pro eis novae erigantur parochiae, in his novam publicationem requiri rescripserat sacra Congregatio Propagandae Fidei *ad vic. ap. Tunk. 7 iul. 1670.;* verum sacra Congr. Univ. Inquisitionis contrariam sententiam amplexa est. Nam, quum episcopus de Costa Rica in America centrali proposuisset, Portum de Limon usque ad annum 1870 fuisse regionem incultam et silvis consitam; primos incolas fuisse nigritas haereticos et nonnullos catholicos Costaricenses; anno 1893 erectam fuisse parochiam in eodem Portu, ubi tunc degebant mille catholici et quatuor millia haereticorum; et petiisset, utrum ibi vigeret lex tridentina, an ad hoc, ut vigeret, requireretur publicatio nova decreti in nova

[1] Cfr. *resp. S. U. I. ad arch. Quebecensem 14 nov. 1883;* Feije *de imp. et disp. matr. n. 335 sq.*

[2] Cfr. B. P. *VI. 1182.*

parochia facta, respondit : « Decretum *Tametsi* Conc. Trid. tamquam promulgatum censeri debet in tota dioecesi de Costa Rica, neque proinde necessaria est eiusdem decreti promulgatio in nova parochia Portus de Limon ». *S. U. I. 23 nov. 1898* [1].

Extra dubium vero est, non esse necessariam novam publicationem in nova parochia, quae talis evadit ex dismembratione ab antiqua, in qua decretum fuerat publicatum, quamvis, si parochiae, in qua decretum publicatum non est, uniatur parochia, in qua publicatio facta fuit, prima parochia non exinde ligetur statuto tridentino, nec altera ab ea lege liberetur [2].

Responsiones S. Officii superius citatae fundantur in principio ab eadem S. Congregatione admisso, quod decretum tridentinum publicatum est in universa ditione subiecta Regi Hispaniae: quod principium quibus ex rationibus a S. Congregatione inductum fuerit, nescimus.

11. *Tamquam decretum Concilii Tridentini* publicandum est hoc decretum ad ipsam validitatem [3], nec proinde sufficeret, ut episcopus illud publicaret tamquam suum decretum, aut tamquam decretum concilii provincialis vel synodi dioecesanae.

12. *Ut « publicari et explicari » populo* hoc decretum ordinarii curent, praescribit Concilium Tridentinum. An exinde dicendum est non exserere vim suam hoc decre-

[1] Hanc sententiam iam tenuerat sacra eadem Congregatio, in sua Instructione ad arch. S. Francisci *14 dec. 1859* et in responsione ad vic. ap. Arizonensem *30 ian. 1884*. — Huc possunt referri etiam litterae Emi. Card. Ledochowski Praef. S. C. de Prop. Fide, quibus (*15 apr. 1901*) declaravit, decretum tridentinum obligare etiam in pagis et vicis East St. Louis Centreville Station etc., qui in territorio locorum Cahokia et French Village, in quo iam antea decretum vigebat, exorti sunt.

[2] Cfr. *Instr. S. U. I. 1 dec. 1859.*

[3] *S. C. C. in Kiovien. 2 dec. 1628., 20 martii 1629. dec. appr. ab Urb. VIII, 30 mart. 1699 in caus. Indiar. Orient. in edit. Richter Conc. Trid. pag. 291 :* Ben. xiv *de Synod. lib. XII. c. 5. n. 7.*

tum, nisi *lingua vernacula* aut alia, quam populus intelligit, publicetur? Et Gasparri [1] putat, validam esse promulgationem lingua latina factam. At alii negant, et non immerito, ut videtur: hoc enim videtur sentire sacra Congregatio Concilii. Nam in citata causa *Indiarum Orientalium* rescripsit: « Si decretum eiusdem Concilii *cap. I sess. XXIV de ref. matr.* in iis regionibus non fuit publicatum in parochiis intelligibili idiomate, seu..., valida esse infrascripta matrimonia, nempe contracta coram parochis ordinatis seu institutis ab archidiacono intruso » [2].

13. *Ab ordinario, vel ab alio ex mandato ordinarii publicari* debet hoc decretum, ex ipso tridentino.

Quare si parochus hanc publicationem suo nomine et auctoritate faceret, nulliter ageret [3].

14. *Quoad tempus publicationis nihil statutum est* in Concilio tridentino, ac proinde quovis tempore ad validitatem publicari potest; tantummodo praescriptum est, ut in primo anno, postquam promulgatum est, quam saepissime fiat nova publicatio et explicatio, postea vero quoties ordinarii id expedire viderint. Haec tamen ad valorem promulgationis non pertinere omnes unanimiter asserunt.

15. *Ut per triginta dies a promulgatione vacet* haec lex tridentina, idest vim suam non exserat, nisi post tri-

[1] *Loc. cit. II. 1056.*

[2] Cfr. etiam Acta S. Sedis *vol. II. p. 623.*

[3] Feije *l. c. num. 301.* Plures, putarunt, in recenti disciplina, ante decretum " Ne temere „ episcopos non potuisse decretum hoc publicare, ubi nondum publicatum erat, inconsulta Sede Apostolica (Gasparri *l. c.* II. *1048.*: Zitelli *Appar. iuris eccl. lib. II. c. 2, art. 7 de imp. clandestin.*), at probabilius contrarium dicendum erat; et si illud episcopi sine venia publicassent, vim suam profecto decretum exseruisset. Verissime autem Gasparri in tertia editione haec in nota addidit: " Omnes opiniones conciliantur, si dicamus de facto ita servari, et ita servandum esse, maxime in territoriis S. C. de Prop. Fide subiectis, prudentiae et maioris securitatis causa „.

ginta dies a die primae publicationis in parochia factae, idem Concilium in eodem capite expresse sanxit.

16. *Pro certis quibusdam personis* decretum hoc publicari etiam potest, et non pro omnibus, qui ecclesiasticis legibus subiiciuntur [1]; ita ut possit publicari pro catholicis et non pro acatholicis, etc. [2], et, si quando parochiae non per territorium, sed *per linguas* in aliqua civitate dividantur (quod permissum esse declaravit S. C. P. F. *11 apr. 1887.*), publicari possit pro fidelibus certae linguae, idest in parochia certae linguae, et non in aliis, ut notat Gasparri [3].

Hoc quidem abstracte loquendo; sed in praxi quaeri potest, quandonam censendum sit, decretum tridentinum publicatum fuisse pro solis catholicis, quandonam pro omnibus, pro catholicis scilicet et pro acatholicis. Et sunt distinguendi casus. Nam si quaestio est de parochia plane catholica, in quam acatholici supervenerunt, postquam ibi decretum tridentinum absolute fuerat publicatum (quodque ibidem adhuc vigeat), etiamsi huiusmodi acatholici pseudo-parochiam acatholicam erexerunt, decretum tridentinum eos tenere certo dicendum est eorumque matrimonia tum cum parte catholica, tum inter se, irrita esse et nulla [4], ut patet ex facultate a Sacris Romanis Congregationibus in his casibus pluries concessa transeundi ad novas nuptias [5].

Si vero quaestio est de regione plane acatholica, in qua nulli vel pauci erant catholici, in quorum parochiis decretum promulgatum non fuerat, donec, numero catholicorum excrescente, sive propter conversionem haereticorum aut schismaticorum, sive propter adventum eo loci plurium aliorum catholicorum, tandem ad tridentini decreti promulgationem devenitur, dicendum est, decre-

[1] Cfr. *litt. Pii VII ad Imp. Napol. I, 27 iun. 1805.*
[2] Cfr. *litt. S. C. P. F. ad episcopum Nicopol. 11 ian. 1817.*
[3] *L. c. n. 1052.*
[4] Cfr. *S. C. C. ad ep. Tricarien. 18 ian. 1663.*
[5] Confer *Brev.* Pii VIII " Litteris „ *25 mart. 1830.*

tum solos catholicos, non vero acatholicos afficere: et proinde matrimonia acatholicorum, sive cum parte catholica, sive inter se, esse valida [1].

Si autem agatur de regione anteactis temporibus plane catholica, in cuius parochiis decretum tridentinum fuerat publicatum, ex qua postea, catholicis expulsis, eorum locum haeretici aut schismatici tenuerunt, aut ex apostasia antiquorum catholicorum evasit regio acatholica, in qua proinde praesenti tempore impune grassatur haeresis, et acatholici constituunt societatem omnino distinctam et moraliter diversam a prisca catholicorum societate, probabilius dicendum videtur, decretum tridentinum acatholicos non afficere: quamvis non omnes doctores quoad hoc concordes sint. Inter alios hanc sententiam tenet vel tenuit Gasparri [2], qui addit: « Hic est casus Statuum Foederatorum Belgii et Hollandiae, pro quibus Ben. XIV dedit celebrem declarationem, matrimonia haereticorum inter se aut mixta valere praecise, ut videtur, ob allatam doctrinam ».

17. *Documentum authenticum promulgationis non requiritur, sed sufficit factum diuturnae observantiae* eiusdem legis tamquam decreti Concilii tridentini, ut lex ista tridentina obliget [3]; ita ut ex hac diuturna observantia et exsurgat praesumptio de ipsa promulgatione et habeatur consuetudo vim legis habens, quae idem decretum inducat [4]. Quaenam autem sit haec diuturna observantia, non est omnino certum. Nonnulli volunt sufficere decennium: at S. C. U. I. *ad ep. Wayne-Castren. 10 ian. 1866* respondit: « decretum Concilii Tridentini *de ref. matrimon. sess. XXIV* diu dicitur observatum tamquam eiusdem

[1] Cfr. *litt. Pii VII ad Napoleonem I 27 iun. 1805*; *S. C. P. F. ad ep. Nicopolitan. 11 ian. 1817*; *S. U. I. 24 et 29 novembris 1852.*

[2] *De matr.* [2] *II. 895.* Haec verba in tertia editione suppressa sunt.

[3] Cfr. *S. C. C. ad ep. Tricarien. 18 iun. 1663*; *litt. Ben. XIV ad archiepisc. Goanum. 19 mart. 1758.*

[4] *S. C. C. in Constantinopolit. 16 dec. 1634*; *ad ep. Tricarien. 18 ian. 1663*; cfr. Gasparri, *loc. cit. II. 1060 sqq.*

Concilii decretum, quando a tempore, quod excidit hominum memoriam, in parochia vim legis obtinuisse compertum est, ita ut matrimonia contracta praeter formam a tridentino praescriptam irrita semper habita fuerint ».

18. *Necesse est habere documenta certa et evidentia de eius observatione* ad asserendum decretum tridentinum ex diuturna observantia alicubi vigere; quare optimo iure S. Congregatio de Prop. Fide respondit vicario apostolico Tunkini orientalis: « ideoque nisi constet revera publicatum fuisse illud decretum, vel saltem semper observatum, ac matrimonia absque praesentia parochi inita tamquam irrita habita fuisse, tunc pro non publicatione sentiat ». *S. C. P. F. 1 mart. 1784.*

19. *Desuetudine decretum tridentinum potest abrogari*[1]. Et re quidem vera quaerenti vicario apostolico Iaponiae, utrum vigeret adhuc decretum tridentinum in Iaponia, ubi illud, validis suadentibus rationibus, saltem anno 1626 publicatum fuisse videbatur, quum fideles usque in praesens, de dispositionibus a tridentino circa matrimonium clandestinum decretis omnino inscii, semper sine parocho (nullus remanserat) et saepe sine testibus contraxerunt, Sacra Congregatio Univ. Inquisitionis respondit: « negative ». *S. U. I. 11 mar. 1868.*

Attamen nullum temporis spatium sufficit, ut lex tridentina vim obligandi amisisse censeatur aliquo in loco per simplicem inobservantiam haereticorum [2].

20. *Decretum tridentinum a legitima auctoritate potest restringi ad quasdam tantum personas.* Sic saltem quoad effectus productos (nam ex sui natura constitutio Benedicti XIV fuit potius veri nominis declaratio, quam legis exsistentis abrogatio) factum est a Benedicto XIV [3], pro

[1] Cfr. *litt. Pii VII ad archiep. Mogunt. 8 oct 1803.*
[2] *S. U. I. 6 iul. 1892.*
[3] *Const.* « Matrimonia » *4 nov. 1741.*

matrimoniis haereticorum vel mixtis in Hollandia: sic fecerunt Pontifices successores, qui hanc Benedictinam Declarationem ad alias regiones extenderunt, vel per veri nominis abrogationem legis tridentinae, vel per declarationem authenticam [1].

21. *Vis istius decreti tridentini est simul personalis et localis* [2], ita ut (ex eo quod personalem vim habet) sponsi, qui domicilium habent in loco subiecto capiti « Tametsi » si in loco eidem capiti non subiecto contrahant, eo ipso in fraudem legis agere censeantur [3], et nisi domicilium vel quasi domicilium in loco legi tridentinae non subiecto acquisierint, invalide agant [4]. Si vero contrahant in loco, ubi decretum illud non viget, duo, quorum alter tantum sit ex loco, ubi viget, valide contrahunt, quia unus alteri privilegium suum communicat, ratione individuitatis contractus [5].

Ex eo autem, quod lex ista tridentina localem vim habet, incolae alicuius parochiae, in qua caput « Tametsi » Concilii tridentini non est promulgatum, transeuntes ad parochiam, in qua dictum caput « Tametsi » promulgatum est, retinentes domicilium unde discesserant, nequeunt valide in ista nova parochia matrimonium contrahere sine ullo parocho et testibus, aut pro more vagorum coram parocho simplicis commorationis et testibus: sed ad valide ibidem celebrandas nuptias, debent necessario contrahere aut coram parocho proprio domicilii retenti vel sacerdote ab ipso delegato, aut coram parocho veri

[1] Confer De Roskovàny *De matr. mixtis I.* § *47. sqq.*; B. P. *VI 809*; Feije *loc. cit. n. 315 sqq.*

[2] *S. U. I. ad arch. S. Francisci 14 dec. 1859.*

[3] G. B. II. *651, 1801. ed. XIII.*

[4] Urban. VIII. *14 aug. 1627*; *Const.* Ben. XIV " Paucis abhinc hebdomadis „ *19 mart. 1758*; *S. U. I. ad ep. Genevén. 3 sept. 1772*; *instr. eiusd. Sacr. Congr. ad ep. Angliae et Statuum foed. Amer. Sept. 7 iul. 1867*; *S. C. C. in Colonien. 5 sept. 1626., in Parisien 18 iul. 1903.*

[5] Cfr. Ben. xiv *de syn. l. VI. c. 6. n. 121*; *S. C. P. F. 21 mart. 1759*; *Instr. eiusd. S. C. ad ep. Nicopolitanum 11. ian. 1817*; Feije *l. c. n. 316 sqq.*

domicilii vel quasi domicilii acquisiti in parochia, ad quam transierunt, servata etiam in reliquis quoad testes forma tridentina [1].

22. *Excusat a lege tridentina impotentia adeundi parochum vel episcopum*, certo si sit communis, et perduret per spatium mensis [2]; forte etiam si sit particularis, et per idem tempus perduret [3]; in casu tamen matrimonium contrahendum est ad validitatem coram duobus testibus [4]. Impotentia autem haec tunc verificari censetur, quum in loco, ubi matrimonium contrahitur, vel in vicino, ad quem sine periculo accedi possit, parochus vel alius sacerdos delegatus non exsistat [5]. Tenentur autem sic contrahentes nuptialem benedictionem recipere quam primum commode poterunt; et curare, ut ipsorum matrimonium inscribatur in sacramentali registro parochiae, seu missionis, aut proximioris missionis ecclesiae, a qua dependent [6].

In casu autem impotentiae adeundi parochum, qui aliquando verificabatur in Sinis, Tunkino et Cocincina, Sacra Congregatio Prop. Fidei ea super re interrogata, in instructione data ad vicarios apostolicos earum regionum *(23 iun. 1830)*, indicavit etiam modum practicum contrahendi matrimonium absque sacerdote. Dicit autem: « Si missionarius adiri nequeat, et ineundi matrimonii urgeat necessitas, atque aliunde nullum omnino obstet

[1] Cfr. Ben. XIV *in fine suae declarat. pro Hollandia 4 nov. 1741, de Syn. lib. VI. c. 6. n. 14; S. C. C. in Parisien. 28 ian. 1899, et votum R. P. Fr. Xav. Wernz consultoris ibidem*; B. P. *VI. 805.*; Zitelli *loc. sup. cit. etc.*

[2] *S. U. I. 1 iul. 1863, 14 nov. 1883; S. C. P. F. 27 iun. 1625; S. C. C. pluries.*

[3] B. P. *VI. 819.*

[4] Cfr. *S. C. C. ad episc. Tricarien. 13 ian. 1663*; *litt. Pii VI ad ep. Lucion. 28 maii 1793; S. C. P. F. 4 ian. 1798, ad ep. Quebecen. 17 nov. 1835*; *S. U. I. 6. iul. 1817.*

[5] *S. U. I. ad vic. ap. Sutchuen. 15 ian. 1784.*

[6] *Instr. S. U. I. ad praef. miss. Martinicae, Guadalupae etc. 6 iul. 1817; S. U. I. 14 nov. 1883.*

impedimentum, tali casu parentes duos testes eligant, qui una cum sponso et sponsa eorumque propinquis, ad ecclesiam se conferentes, flexis genibus, consuetos fidei, spei, caritatis, contritionis actus in communi recitent, sicque sponsus et sponsa ad contrahendum matrimonium recte se disponant. Post haec surgentes sponsus et sponsa coram praedictis testibus per verba de praesenti mutuum exprimant consensum, et post actas gratias Deo domum revertantur. Si autem ad ecclesiam ire nequeant, in privatis domibus praedicta observentur. Postea vero, data opportunitate, novi coniuges et testes missionarium adeant, ut ipsi de matrimonio rite inito legitimo constet, et ab eodem benedictionem accipiant ».

Iuverit hic etiam illud referre, quod anno 1785 Sacrae Congr. de Prop. Fide relatum est quoad *insulam Curaçào*, in qua lex lata fuerat, vetans catholicis, ne contraherent matrimonium coram proprio parocho, nisi prius contraxissent coram magistratu acatholico et ministro protestante, sub poena 500 florenorum a parocho catholico solvendorum; si autem vellent contrahere coram magistratu acatholico vel ministro protestante, ut 50 florenos solverent. Quare praefectus missionis referebat, vere pauperes nullo modo matrimonium posse contrahere. His stantibus, S. Congregatio respondit: « Parochus catholicus, constito primum sibi nullum inter contrahentes intercedere canonicum impedimentum, ac illorum inopiam veram esse, permittat ut, absque etiam sua assistentia, matrimonium ineant, sed tamen praesentibus tribus aut saltem duobus testibus integrae fidei; ac ita celebrato matrimonio teneantur coniuges, citius quam fieri potest, illud parocho significare, qui in codice matrimoniorum illud saltem secreto adnotet cum indicatione diei ac nominibus testium, qui praesentes fuerunt. Ita se gerat praefectus missionis in casu necessitatis et magnae contrahentium inopiae. Videat tamen, ne sub paupertatis praetextu fraus aliqua fiat contra tridentini Concilii decretum sess. XXIV. c. I. de reform. matr. etc. ».

23. *Alicubi ob speciales locorum circumstantias decretum tridentinum publicatum fuit ex parte:* idest prout requirit ad validitatem matrimonii praesentiam duorum vel trium *testium*, non vero prout requirit etiam praesentiam *parochi*. Sed hoc, ut patet, non posset fieri ab episcopo, nisi de expresso consensu et mandato Romani Pontificis, quo deficiente, si quis episcopus hoc faceret, nulliter ageret. Sic de mandato Romani Pontificis in iis locis imperii Sinarum, in quibus integrum decretum tridentinum promulgari non posset, vel, si promulgatum esset, parochus tamen vel alius rite designatus abesset, vel faciles ad eumdem non essent aditus, statutum fuit, ut iniri quidem possent coniugia, etsi absque parocho, attamen coram duobus saltem testibus, iisque, si fieri posset, christianis [1]. Hoc idem prius statutum fuerat pro Iaponia [2].

24. *Dubitatur num in aliquibus locis decretum tridentinum fuerit publicatum.* In praxi huiusmodi loca habenda sunt tamquam ea, in quibus publicatum non est: nam lex dubia non obligat [3].

§ III. — De assistentia parochi et testium.

25. Parochus assistens est parochus proprius: haec qualitas parochi *proprii*, undenam desumatur; de parocho suspenso, irregulari, excommunicato, putativo; an parochus possit destitui facultate assistendi; de vicariis curatis et deservitoribus: quinam praeter parochum iure suo assistere possint. — 26. Requisita ut parochus dicatur praesens. — 27. Parochus et testes debent formaliter adhiberi. — 28. Domicilium hic aestimandum est iure canonico et constituitur habitatione in parochia: necessaria ad domicilium acquirendum. — 29. De do-

[1] Cfr. *S. U. I. ad vic. ap. Sutchuen. 15 ian. 1784; S. C. P. F. ad vic. ap. Tunk. occ. 1 mart. 1784; pro Sinis 4 ian. 1798; Instr. eiusd S. C. P. F. ad vic. ap. imp. in Sin. eique adiacentibus Regnis et Prov., iussu Pii VII dat. 14 ian. 1821.*

[2] *S. C. P. F. 13 iun., 27 iun. 1625.*

[3] Cfr. *S. C. C. 13 nov. 1638*; *S. U. I. 22 iul. 1840.*

micilio quoad eos qui sui iuris non sunt, quoad uxorem, alumnos collegiorum, professores, medicos, officiales publicos, magistros, famulos, eos qui partim in civitate, partim ruri degunt, milites, damnatos ad carceres, infirmos, peregrinos, vagos. — 30. Ad quasi domicilium; specialia pro quibusdam locis. — 31. Qui matrimoniis assistere per se valent, possunt hoc munus alteri sacerdoti committere. — 32. Et hoc quoad validitatem tum speciali tum generali delegatione. — 33. An proparochi censendi sint habitualiter delegati. — 34. Notanda quoad delegationem. — 35. Quinam debeant esse testes et quaenam eorum praesentia.

25. *Parochus assistens iure tridentino debet esse parochus alterutrius sponsi* [1], et desumitur ex habituali domi-

[1] Ita scilicet certissime dicendum ex auctoritate Doctorum et iurisprudentia, quae ita decretum " Tametsi „ interpretata est, et authenticas quam plures tulit confirmationes. Cfr. Const. Urb. VIII " Exponi „ 14 aug. 1627; Const. Ben. XIV " Paucis „ 19 mart. 1758; Ben. XIV Inst. XXXIII. n. 5, ubi plures referuntur decisiones S. C. C.; Rit. Rom. tit. VII. c. I. n. 5.; S. U. I. 7 iun. 1887, etc. Verum an haec revera fuerit mens Patrum tridentinorum, scilicet an vere voluerint ad validitatem necessariam esse praesentiam parochi proprii, an potius praesentiam alicuius parochi tantum, non adeo evidens est. Rev. D. Lombardi defensor vinculi matrimonialis apud S. C. C., cui demandatum fuit votum exarare ad proponendum schema pro immutanda forma legitima celebrationis matrimonii, acriter sententiam defendit in praxim invectam et requirentem parochum proprium. Argumentatur autem ita: " Ceteroquin attendendum requiri parochum proprium iuxta tridentinum probari: *a)* ex verbis postremae partis capitis *Tametsi:* — Quod si quis parochus vel alius sacerdos, sive regularis sive secularis sit,... alterius parochiae sponsos sine illorum parochi licentia *matrimonio coniungere* aut benedicere ausus fuerit —; *d)* ex iurisprudentia, quae ita interpretata est decretum; *c)* ex communi modo dicendi; nam eadem ratione, qua secundum communem sensum, si dicitur instrumentum fieri debere *coram notario*, licet generatim adire quemlibet, quia plures sunt: quando dicitur e contra actum faciendum esse *coram syndico* intelligitur proprius, quia unicus est. Sunt enim termini correlativi parochus et parochianus, et quoad non parochianum parochus haud parochus est. Quod bene adverti volo seu peto, quum (salva reverentia) mihi constet non deesse in amplissimo S. V. C., qui contendant Concilium intellexisse parochum quemlibet, theoriam autem et disciplinam de parocho proprio fuisse operam iurisprudentiae; quod non videtur esse verum „. Ita R. D. Defensor vinculi citans Sanchez, cuius doctrinam desumptam ex lib. III

cilio vel quasi domicilio (de his infra) [1]. Quare si assisteret parochus non proprius, idest parochus, in cuius parochia neuter sponsus domicilium aut quasi domicilium habet, etsi is putaretur per errorem parochus proprius, matri-

disp. 19 de matrimonio refert in Appendice prima sui voti. Sed notandum est, Sanchez, etsi non multo post Concilium et promulgationem decreti de clandestinis (11 nov. 1563) scripserit (opus de matrimonio editum prima vice fuit Genuae anno 1602), iam invenisse iurisprudentiam in hac re praeformatam; et de facto ipse pro hac sententia citat Navarrum (1587), Menochium Iac. (1607), Spino (edidit Speculum testamentorum a. 1589 Coloniae), Salzedo (1608), Segura Ioann. (edidit suum Directorium iudicum eccl. fori Venetiis, 1596), Veracrux (habetur eius Speculum cum appendice editum Mediolani 1589), Corduba (1578), Henriquez (1608), Bartholomaeum a Ledesma (1620), Vega (1640?), Petrum a Ledesma (1616), Ludovicum Lopez (1595), et ex auctoritate Menochii dicit eam iudicio Rotae decisam. Quare dubitari potest num ea, quae Sanchez dicit, referant intimam eiusdem animi persuasionem, an tantummodo sint argumenta deducta ad defendendam theoriam iam introductam et iurisprudentia firmatam. — In contrariam autem partem habemus Exc.mum D.num. Augustum Sili, cui etiam idem munus a S. Congr. Concilii fuerat demandatum, qui in suo voto scribit: " Iam dixi tridentinos Patres, dum ederent celebre decretum Tametsi in animo habuisse cum primis matrimonia clandestina impedire. Verum quod non raro accidit, ut nempe volentes Scyllam vitare incidant in Charybdim, idipsum in re nostra evenit ..... Quod quidem non vitio decreti tribuendum, sed eiusdem decreti interpretationi restrictivae, qua idoneitas ad valide assistendum matrimonio in solo parocho vel ordinario *proprio* collocata est. Sane interpretatio huismodi nec a littera nec a mente concilii reclamari videbatur. Non a littera; pars enim decreti, de qua loquimur, ita se habet: — Qui aliter quam praesente parocho vel alio sacerdote de ipsius parochi seu ordinarii licentia et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit. — Ubi evidenter adiunctum *proprius* desideratur. Non a mente; quamvis enim in contextu dicti capitis, ante et post illa verba, expresse loquatur de parocho *proprio*, qui debeat denuntiationes facere et nupturientibus benedictionem impertire, non tamen inde sequitur etiam eadem verba de parocho *proprio* esse accipienda: imo contrarium prorsus infertur. Si enim tridentini Patres, quum ageretur de denuntiationibus faciendis deque benedictione nuptiali, quae solummodo ad liceitatem requirantur, expressam voluerunt qualitatem parochi *proprii*, eo magis il efficere debuissent quum

[1] *S. U. I. 2 maii 1877.*

monium iuxta tridentinam disciplinam est nullum ratione clandestinitatis [1].

Vagi contrahere possunt coram quolibet parocho, in cuius parochia tunc inveniuntur [2]. Attamen parochus, qui vult assistere matrimonio alicuius vagi, debet prius, ex gravi praecepto Concilii [3], diligentem inquisitionem facere, et, re ad ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinere.

Valide assistit parochus, etiamsi non fuerit sacerdos [4].

determinarent formam matrimonii substantialem; qua in re ob gravissimos effectus legis irritantis, perspicuitas verborum maxime curanda erat. Quum itaque ibi mentio fiat dumtaxat de parocho vel ordinario, absque ullo addito, dicendum est qualitatem parochi *proprii* iuxta mentem s. synodi non esse ad validitatem necessariam. Scilicet obtinet in casu regula interpretationis: — Legislator quod voluit expressit, quod noluit tacuit (ex cap. 12 de decimis). — Mox summatim exposita interpretatio, quae inde ab anno 1868 non semel apparuerat vel in foliis defensoris vinculi vel in scripturis advocatorum (Wernz, votum in una Parisien. 1898), nuperrime strenuum habuit patronum cl. P. Pium a Langonio in suo docto voto in Wratislavien. et aliarum 1904„. Pulcherrimum citatum votum P. Pii a Langonio quoad praesentem quaestionem confer apud Acta S. Sedis vol. 39 pag. 305 sqq., ubi inter alia nota haec verba: "Et inde videtur inferendum: aut parochus, qui debet matrimoniis assistere, non est exclusive et necessario in mente decreti tridentini parochus proprius (seu ille solus), quem subtilitates iuristarum pedetentim invexerunt; aut haec tertia pars decreti manca foret et praeterea discordans cum secunda, quia dictia tertia pars loquitur de poenis contra parochum non proprium (senso iuristarum), et poenam omnium gravissimam, nempe matrimonii taliter contracti radicalem invaliditatem omittit!„. In hanc eamdem conclusionem devenerat etiam, antequam votum Ex. D. Sili in Acta S. Sedis legeret, R. D. Boudinhon, *Le mariage et les fiançailles, pag. 24 sqq.* Cfr. etiam quoad hanc quaestionem Arendt *De coniugio clandestine inito in loco exempto a peregrinis, qui in patria decreto tridentino subiiciuntur* (Anal. eccl. vol. VIII. pag. 374 sqq.); Eumd. Arendt, *De coniugio clandestine inito in loco exempto a peregrinis, qui domicilium in loco tridentino asservant.*

[1] Cfr. *causam Parisien, agitatam apud S. C. C. 22 iun. 1907.*

[2] Sanchez, *De matrim. III. d. 25.*

[3] *Sess. XXIV. c. 7 de ref. matrim.*

[4] Cfr. Giraldi *Exposit. iur. pontif. part. II. sect. 115 n. 19*; Fagnanum *n. 8 ad c.* "Praeterea„ *de aet. et qual. etc. praef.*, referentem plures decisiones S. C. C.; Feije *loc. cit. n. 285.*

vel fuerit suspensus, irregularis,ex communicatus, schismaticus, dummodo non depositus [1]; imo etsi fuerit tantummodo putativus, idest is, qui revera parochus non est, sed esse creditur errore communi, cui suffragatur titulus coloratus [2].

Quum autem parochus ab ipso iure communi habeat hanc facultatem assistendi matrimoniis, patet ea destitui non posse a quocumque, etiam superiore, nisi ab uno Romano Pontifice [3].

Veris et proprie dictis parochis in hoc aequiparantur vicarii curati perpetui vel temporales, qui vices proprie dicti parochi gerunt (sed de his in speciali infra); nec non rectores parochiarum, qui alicubi succursalistae vel deservitores dicuntur [4].

Patet autem, praeter parochum, valide assistere matrimoniis Romanum Pontificem pro universa ecclesia [5]; legatum a latere pro sua legatione [6]; episcopum pro sua dioecesi [7]; archiepiscopum pro subditis suorum suffraganeorum, quando visitat suffraganei dioecesim in casibus a iure praescriptis, vel quando suffraganei subditus a sententia episcopi ad ipsum appellavit circa aliquod matrimonium contrahendum, ipseque per sententiam, quae transierit in rem iudicatam, pro libertate subditi steterit [8];

[1] Cfr. Benedict. XIV, *de Synod. lib. XII. c. 5. n. 2. sqq.; lib XIII. c. 23 n. 1 sqq.*

[2] Cfr. *Pii VI Instruct.* "Laudabilem„ *26 sept. 1791 ad episc. Gallos.* Sunt etiam, qui titulum hunc coloratum in casu erroris communis non requirunt, sed non bene, ut videtur. In casu recurrendum esset ad Sedem Apostolicam. Cfr. Feije *loc. cit. n. 291.*

[3] *S. C. C. ad Ep. Giennens. a. 1581.*

[4] Gasparri *de matrim. II. 1076.*

[5] Cfr. *litt. Leonis XII. ad Helvetios 4 oct. 1828.*

[6] *S. C. C. 3 iun. 1628., 22 mart. 1681.*

[7] Cfr. ipsum decr. Concilii tridentini. Feije *loc. cit. 293.* putat, episcopum hoc posse post captam possessionem tantummodo; an recte? nam et prius, postquam confirmatus est, vel promulgatus in consistorio, vere est loci episcopus, et ordinarius; et assistere matrimonio non est exercere iurisdictionem.

[8] Gasparri *l. c. II. 1118.*

vicarium generalem, etiam sine speciali mandato, quousque in officio manet (non igitur mortuo aut deposito episcopo, sed etsi episcopus fuerit interdictus, suspensus, excommunicatus)[1], quia habet ordinariam iurisdictionem in dioecesi [2]; vicarium capitularem, et sede vacante ante eius deputationem capitulum (num etiam vicario deputato, valide assisteret capitulum? et Gasparri [3] non videtur id abnuere: at, deputato vicario, capitulum non est amplius ordinarius, quia totam ordinariam iurisdictionem episcopalem, quae in ipsum transierat per mortem episcopi, transtulit in vicarium); praelatos nullius, qui veram habent iurisdictionem in populum. Dicunt nonnulli et cardinales in suis titulis hoc posse [4]; at quum hodie in titulis nullam habeant iurisdictionem in populum, sed tantummodo potestatem in iis, quae servitium ecclesiae concernunt, et quidem circa disciplinam et morum correctionem *tantum* [5], non sunt amplius ordinarii, et proinde matrimoniis valide non assistunt: quod dicendum videtur, etsi de titulis agatur, qui sint ecclesiae parochiales [6].

26. *Ut parochus dicatur de facto praesens*, sufficit ut possit esse testis de matrimonio, quod contrahitur: etiamsi resistat, ne habeatur ut testis, et affectet non intelligere ea, quae fiunt [7].

27. *Parochus et testes a sponsis eo sensu formaliter ut tales adhiberi* debent ad validitatem, quod contrahentes ideo consensum suum exprimant coram parocho et testibus praesentibus, quia volunt iisdem notum esse contractum, atque adeo eos iuxta mentem et praeceptum

[1] Gasparri *l. cit. II. 1120.*
[2] *S. C. C. 5 iul 1602, 26 sept. 1697, 17 nov. 1636.*
[3] *L. c. n. 116 (1).*
[4] Ferraris *Prompta bibl. v.* " Cardinales „ *art. 3 n. 12,20.*
[5] *Const.* Inn. XII " Romanus Pont. „ *17 sept. 1692.*
[6] Gasparri *l. c. II. 1121*; Wernz *l. c. IV. 176 (177).*
[7] *S. C. C. a. 1581; S. U. I. ad ep. Quebecen. 17 nov. 1835.*

ecclesiae testes habere. Quare nihil refert, utrum prius hoc illis contrahentes dixerint, necne; utrum parochus et testes sciant, se hac de causa conveniri, necne. Quomodocumque enim parochus et testes aut casu occurrant aut ficto praetextu advocentur, seu conveniant, perinde est. Attamen « sponsi saltem de facto et implicite in ipso actu celebrationis matrimonii signis indicent (necesse est), se scienter illos ut testes adhibere velle ». Wernz, *l. c. n. 182 III.* [1].

28. Ut pateat quinam sit parochus *proprius* ad assistendum matrimoniis, quem desumi diximus ex habituali domicilio vel quasi domicilio, haec quoad utrumque adnotanda sunt.

Quoad matrimonium domicilium vel quasi domicilium aestimandum est *iure canonico;* non iure loci in quo contrahitur matrimonium [2].

Domicilium iure canonico constituitur *habitatione in parochia, non in dioecesi* [3].

Ad domicilium acquirendum ex iure communi (cui ius canonicum adhaesit) duo sunt necessaria: factum et voluntas: id est debet quis domum vel in illo loco habere vel eo transferre, simulque intentionem fovere manendi ibidem perpetuo, si nihil inde avocet [4]. Haec autem intentio exterius apparere debet [5].

Hinc ordinarius concedere nequit parochis licentiam assistendi matrimoniis eorum, qui diu in dioecesi versati sunt, sed in nulla parochia domicilium vel quasi domicilium habent, nisi, diligenti inquisitione facta, constet, eos in nulla parochia verum domicilium vel quasi domicilium habere, sed esse vagos [6].

[1] B. P. *VI. 859.* Cfr. *S. C. P. F. ad vic. ap. Tunkin. 2 iul. 1827.*

[2] *S. U. I. 9 nov. 1898.*

[3] Quemadmodum etiam iure civili domicilium intelligitur in municipio seu comuni, non in provincia. Cfr *C. C. it. a. 17.*

[4] *l. 7. de incolis et ubi etc. C.* (*X. 40*); FEIJE *de imp. et disp. matr. 295;* D'ANNIB. *I. 83.; C. C. it. a. 17.*

[5] D'ANNIB. *I. 83.* (*12*).

[6] D'ANN. *III. 457* (*38*).

29. *Verum qui sui iuris non sunt, patris vel tutoris domicilium habent, illudque retinent,* quousque, sui iuris effecti, eidem non renuntient;[1] *uxor* habet domicilium mariti, illudque, etiam si maritus fuerit mortuus, retinet, donec ei non renuntiet[2], nisi in casu legitimae separationis ante mariti mortem id praestiterit[3]. Hi praeter hoc domicilium, possunt alibi quasi domicilium contrahere.

Hinc *alumni seminariorum vel collegiorum, et puellae,* quae in conservatoriis et collegiis educantur, retinent domicilium paternum, cui non renuntiarunt, et habent quasi domicilium in parochia, ubi collegium situm est[4].

Professores alicuius facultatis, *medici* ab aliquo municipio conducti, *officiales publici, magistri* vel *magistrae* comunales etc., si operam suam in aliquo loco exercent ultra semestre seu ad tempus indeterminatum, saltem quasi domicilium eo loci habent[5], verum domicilium retinentes, si quod habent alibi[6].

Famulos et famulas habere domicilium in parochia, in qua famulantur, tradunt nonnulli[7]; hoc autem verum non videtur, et ibi solum habere quasi domicilium hi videntur, retinentes etiam domicilium paternum, maternum vel fraternum[8]: nam ad amittendum domicilium non sufficit actualis discessus vel absentia diuturna, sed sive verbis sive factis debet constare de animo renuntiandi domicilio, quod, quamdiu de renunciatione non constat, conservatur[9].

Illi, qui partim in civitate, partim ruri degunt, habent domicilium in civitate, si ibi perpetuo velint ma-

[1] Feije *l. c. n. 204.;* cfr. etiam *S. C. C. in Parisien. 16 apr. 1902.*

[2] Zitelli *Ench. iur. pont. lib. II. c. 2. a. 7. de imp. cland.*

[3] Feije *l. c.*

[4] *S. C. EE. RR. 8 oct. 1723.*

[5] Zitelli *loc. sup. cit.*

[6] Gasparri *loc. cit. n. 1105.*

[7] Zitelli *loc. cit. etc.*

[8] Cfr. *S. C. C. in Eugubina 24 mart. 1788;* Giovine *de disp. matr. I. 314 n. 7.*

[9] Feije *l. c. n. 208.*

nere; ruri autem, vel domicilium, si nempe perpetuo et aequaliter (quod non mathematice, sed moraliter accipiendum est, *S. C. C. 29 nov. 1851*); vel quasi domicilium, si ibidem aliquamdiu degant cum animo eo loci manendi per maiorem anni partem [1]. Tunc utrobique contrahere possunt; si vero ruri nec quasi domicilium habent nec domicilium, tunc contrahere ibidem non possunt, et, si contrahunt, invalide agunt, etsi ruri aliquamdiu per plures menses degerint [2].

Milites quasi domicilium habere censentur eo loci, ubi per maiorem anni partem addicti sunt [3]; secus sunt vagi, nisi alibi domicilium retinuerint.

Ad carceres damnati in parochia carceris habent verum domicilium, si ad carcerem perpetuum damnati sunt; quasi domicilium, si poenam carceris ultra semestre luere debent; secus nec domicilium ibi habent, nec quasi domicilium [4].

Infirmi regulariter non acquirunt quasi domicilium in hospitali, nisi constet eos laborare morbo sex mensibus diuturniore et animum habere ibidem manendi, quousque convalescant [5].

Peregrini [6] habent domicilium eo loci, unde discesserunt reversuri; ubi autem morantur, nec domicilium nec quasi domicilium habent [7].

Vagi [8] nullibi domicilium habent; hinc contrahere possunt matrimonium coram quolibet parocho, idest

[1] GASPARRI *l. c. n. 1113.*; D'ANN. *I. 84.* (*23*).

[2] Cfr. *S. C. C. in Parisien. 14 dec. 1889.*

[3] D'ANN. *I. 85.* (*27*).

[4] *S. C. C. in Farfen. 26 maii 1707. cit. a* GASPARRI *l. c. n. 1107.*

[5] ZITELLI *loc. sup. cit.*

[6] Peregrinus ille est, qui extra suum territorium per aliquot dies commoratur, ad sua reversurus, ibique nec domicilium habet nec quasi domicilium. Cfr. *l. 7 de incolis et ubi etc. C.* (*X. 40*).

[7] Cfr. D'ANN. *I. 85.*; GIOVINE *loc. cit. n. 9.*

[8] Vagus ille dicitur, qui nullibi fixum domicilium habet, ut is, qui domicilio relicto navigat aut iter facit, quaerens quo se conferat aut ubi consistat. *l. 27* § *2 ad municipalem etc. D.* (*L. 1*).

coram quocumque parocho, in cuius parochia tunc inveniuntur, ut diximus [1].

30. *Ad quasi domicilium autem necessario requiruntur:* factum commorationis in aliquo loco, et animus ibidem manendi per maiorem anni partem [2].

Quare si legitime constet, ambos vel alterutrum ex sponsis animum habere alicubi permanendi per maiorem anni partem, ex eo primum die, quo eo devenerit, quasi domicilium acquisitum fuisse, tenendum est [3]. Si autem non constet, alterutrum saltem ex sponsis hunc animum habere, recurrendum est ad praesumptiones; et si uterque, vel alteruter, ante matrimonium spatio unius mensis in loco matrimonii habitaverit, exsurgit praesumptio iuris, eos animum habuisse manendi ibidem per maiorem anni partem, atque ideo quasi domicilium in loco habuisse et matrimonium fuisse validum, nisi praesumptio illa contrariis probationibus certo elidatur. Cfr. litt. Card. Patrizi ad episcopos Angliae et Americae septemtrionalis per S. C. P. F. *7 iun. 1867* transmissas [4]. Attamen etiam commoratio sex mensium in aliqua parochia non excludit inquisitionem faciendam de animo permanendi per maiorem anni partem, nisi ex privilegio hoc idem concedatur, ut fecit S. Congreg. Univ. Inquisitionis pro archidioecesi Parisiensi, cuius officialis petiit declarationem, tamquam normam a se sequendam in futuris casibus, an bene egerit non admittendo ad matrimonium virum et mulierem, qui proposuerant commorari in aliqua parochia Parisiis ad tres menses, quam com-

[1] Gasparri *l. c. n. 1090* putat, vagum, qui nullam commorationis sedem habet, posse matrimonium contrahere coram quocumque parocho de mundo; vagum vero, qui habet locum stabilis alicuius commorationis, licet haec ne ad quasi quidem domicilium in ea parochia pertingat, debere matrimonium contrahere coram parocho commorationis.

[2] Cfr. *decr. S. U. I. 24 mart. 1867.*; Feije *de imp. et disp. matr. n. 209. sqq.*

[3] *S. U. I. 7 iun. 1867.*

[4] *S. C. C. 25 ian. 1873; 4 mai, 20 iul., 14 sept. 1878 etc.*

morationem postea, volentes inter se matrimonium contrahere, ad alios tres menses prorogarunt, ut compleretur semestre commorationis requisitum ad matrimonium a lege etiam civili. Huic petitioni S. Congreg. S. Officii respondit: « Oratos acquiescat; et addatur: se conferentes in civitate N. ex alio loco vel paroecia, dummodo ibi commorati fuerint in aliqua paroecia per sex menses, censendos esse ibidem habere quasi domicilium in ordine ad matrimonium, quin inquisitio facienda sit de animo ibi permanendi per maiorem anni partem, facto verbo cum SS.mo ». *S. U. I. 9 nov. 1898.* Hoc autem fuisse peculiare indultum declaravit assessor S. Officii litteris datis ad S. Congr. Concilii *26 ian. 1903.*

Pro statibus foederatis Americae septentrionalis aliquid peculiare habemus; videlicet illi, qui per spatium unius mensis in aliqua parochia commorati sunt, eo ipso in ordine ad matrimonium censendi sunt habere ibidem quasi domicilium, quin facienda sit inquisitio de animo ibi permanendi per maiorem anni partem [1]; quare ius quoddam novum pro iis regionibus haberi videtur, ut ad quasi domicilium acquirendum non requiratur animus manendi in loco per maiorem anni partem, sed sufficiat factum menstruae commorationis [2]. Hoc, quod pro Statibus foederatis Americae septentrionalis a S. Officio constitutum fuerat, extensum postea est *ad archidioecesim Parisiensem* a S. Congregatione Concilii (*S. C. C. 29 maii 1905*), quae pariter *ad civitatem Berolinensem* in dioecesi Wratislaviensi extendit privilegium a S. Congr. S. Officii Parisiis concessum (*9 nov. 1898*), ut scilicet in ordine ad matrimonium quasi domicilium acquiratur, quin animus investigetur, dummodo ex alio loco vel parochia sese conferentes in urbem Berolinensem *per sex menses* et ibi in aliqua parochia commorati fuerint. *S. C. C. decr. cit. 29 maii 1905.*

[1] *Decr. S. U. I. 6 maii 1886. conf. a Leone XIII die 12 maii eiusd, anni et datum ad petitionem Conc. Baltimorensis Plenarii III.*

[2] ZITELLI *loc. sup. cit.*; GASPARRI *loc. cit. n. 1089.*

31. *Ii omnes, qui matrimoniis per se assistere valent, possunt hoc munus committere* alii sacerdoti, non vero diacono aut inferiori clerico (unus Romanus Pontifex posset hanc facultatem cuicumque voluerit delegare) [1]; idque facere valent quousque valent per se matrimoniis assistere, idest quousque officium retinent, etsi censuris irretiti sint.

Patet autem episcopum posse valide facultatem assistendi sacerdoti delegare, etiam parocho invito et reluctante [2].

Nota etiam illum, qui delegatus est ad universitatem causarum, idest in casu ad assistendum matrimoniis in genere, posse alium sacerdotem subdelegare pro hoc vel illo matrimonio.

32. *Delegare hi possunt, quoad validitatem, et speciali et generali delegatione;* verum non semper id licite faciunt. Sic S. Congregatio Concilii *in causa Posnaniensi 20 iul. 1889*, reprobavit consuetudinem parochorum alicuius civitatis, qui se mutuo delegabant ad hoc, ut quivis illorum semper et habitualiter posset assistere matrimoniis eorum, qui alteri parocho subdebantur; et de facto hoc erat illusorium reddere decretum tridentinum. Attamen hanc ipsam generalem delegationem, certos intra terminos restrictam, eadem Sacra Congregatio alias probavit. Nam quum in civitate Coloniensi parochi se mutuo delegarent in hunc modum, ut parochus, qui tempore, quo proclamationes expetebantur, parochus proprius sponsae erat, inde per tres menses matrimonio eius assistere valeret, etiamsi sponsa, ea parochia derelicta, in alia parochia eiusdem civitatis tempore matrimonii habitaret; et in civitate Aquisgranensi ab immemoriali tempore exsisteret usus, iuxta quem propter frequentem habitationis mutationem ex parte ancillarum, mercenariorum et pauperum, parochus, in cuius

[1] Feije *loc. cit. n. 294.*

[2] S. C. C. *ad ep. Aturensem 14 aug. 1863.*

parochia sponsa habitabat, dum proclamationes expetebat, eius matrimonio assistere posset, etiamsi sponsa tempore proclamationum in aliam parochiam eiusdem civitatis transmigraret: Sacra Congregatio non solum sententiam tulit pro valore horum matrimoniorum, sed supradictam praxim per manifestationem *suae mentis*, archiepiscopo Coloniensi circa eam factam, approbavit (*S. C. C. in causa Colonien. et Aquisgranen. 18 mart. 1893*), et iterum approbavit Sacra Congregatio Univ. Inquisitionis *9 nov. 1898*.

Mens autem Congr. Concilii in causa Coloniensi haec fuit, ut scilicet eidem e.mo archiepiscopo scriberetur, quod ad vitanda incommoda ex enunciata praxi utcumque oritura, opportunum futurum esset, ut utraque illa generalis delegatio parochis non esset permissa, nisi accedente ordinarii approbatione et delegatione una cum facultate subdelegandi; insuper, ut eadem mutua generalis delegatio limitanda esset ad casum, quo res per petitionem proclamationum factam non iam esset integra, idest restringenda ad solos parochos domicilii a sponsis relicti, et quoad durationem ita determinanda esset, ut exspiraret, si a die ultimae proclamationis (exclusive) elapsi essent duo menses, seu sexaginta dies completi, vel tot dies completi, quot iuxta dioecesana statuta requirebantur ut denuo fierent proclamationes, si intra illud tempus matrimonium non fuisset celebratum; optandum vero, ut e.mus archiepiscopus uteretur ea facultate tantummodo pro maioribus suae archidioecesis civitatibus.

33. *An pro-parochi seu vice-curati* censendi sunt habitualiter delegati ad matrimonia omnium fidelium ex parochia? Et, si hi positi sunt cum plenitudine pastoralis ministerii (quod ex consuetudine quoque dioecesis erui potest) affirmandum est; negandum vero, si, nonnisi ad adiuvandum parochum in iis, quae ipsis committuntur, deputentur [1].

[1] Cfr. *S. C. C. in Bosanensi 28 nov. 1789, in Turritana 13 iun., 19 dec. 1795.*; *S. U. I. 7 sept. 1898.*

34. *Quoad hanc delegationem haec nota.* Ea quamvis fuerit metu extorta, est valida [1]. Attamen delegans debet facultatem facere sciens volens, nec errore ductus. Delegatus autem scire debet mandatum assistendi ipsi fuisse commissum [2], et quidem hanc notitiam habere debet directe ab eo, qui hanc licentiam concedit, aut a concedentis nuncio ad id destinato, nec sufficeret, quod esset illius licentiae conscius per alium [3]; et mandatum debet non fuisse revocatum [4], et planum est. Revocatio autem haec, ut vim suam exserat, debet innotescere sacerdoti delegato, et quidem directe, non indirecte per tertiam personam, nisi haec fuerit ad hanc revocationem intimandam destinata. Quare sacerdos, cui haec licentia concessa fuerat, etsi aliunde quam per parochum aut nuntium ad id destinatum noverit licentiam esse revocatam, si matrimonio assistit, valide agit, et matrimonium est validum [5].

Concedi autem potest mandatum hoc *sive scripto, sive oretenus;* et iuxta quosdam valet (nam delegatio iam habita est gratia facta), etiamsi parochus delegans mortuus fuerit, vel alias officio cesserit [6]. Attamen Lugo [7] et Sanchez [8] contrarium tenent in casu, quod mors parochi non ignoretur : si enim ignoratur, ratione communis errori, adhaerent primae sententiae. Data autem licentia Titio vel Caiae, ut inter se matrimonium contrahant, non valet nec pro Titio nec pro Caia, ut matrimonium ineant cum altera aut altero [9].

Praeterea haec licentia, *ad certum tempus data* vel

[1] Schmalzgrueber *in tit. 3. lib. IV. Decr. n. 208. sqq.*; S. Alph. *VI. 1088.*, Feije *l. c. n. 297.*

[2] *S. C. C. 15 apr. 1625; 5 dec. 1626.*

[3] Sanchez *de matrim. III. disp. 36. n. 8.*

[4] Feije *l. c. n. 297. 7°.*

[5] Sanchez *loc. cit. n. 9.*

[6] B. P. *VI. 849.*

[7] *Resp. mor. I. 35.*

[8] *De matr. lib. VIII. disp. 28. n. 64 sqq.*

[9] *S. U. I. 2 aug. 1899.*

sub conditione, transacto tempore aut conditione non impleta, evanescit, ut patet: dari vero potest etiam pro quocumque sacerdote, quem nempe contrahentes maluerint, sed hoc, quamvis non obstet validitati [1], improbandum tamen est, quia nimis est alienum a praxi ecclesiae [2].

Non sufficit in sacerdote assistente licentia *interpretativa* [3]; quare, si parochus, putans alterum parochum iure suo procedere posse ad celebrationem alicuius matrimonii, verbis comiter dictis ostenderet se gratum habere, ut alter parochus matrimonio assisteret, etsi haberet intentionem dandi delegationem, si eam sciret necessariam, non tamen valida esset delegatio. Nec vitium nullitatis matrimonii, cui sacerdos sic adstiterit, sanari potest per supervenientem ratihabitionem a parocho factam [4].

Nec sufficeret generalis facultas ab episcopo alicui sacerdoti vel pluribus sacerdotibus facta administrandi omnia sacramenta, quae ordinem episcopalem non requirunt, quum in ea non includatur facultas assistendi omnibus matrimoniis fidelium dioecesis [5].

An sufficiat *tacita*, idest quum parochus videt ex. gr. sacerdotem quemdam in eo esse, ut assistat matrimonio, et non contradicit? Et sunt, qui affirmant [6], sunt, qui negant [7]; in praxi post matrimonium contractum standum est pro valore matrimonii, antequam vero contrahatur, alteri sententiae adhaerendum est [8].

Si a parocho daretur mulieri seu viro *licentia contrahendi coram quocumque sacerdote* ab ea vel ab eo

[1] *S. C. C. 15 iun. 1586.*

[2] Feije *l. c. n. 297. 6.*; Gasparri *l. c. 1141.*

[3] *S. C. C. in Annecien. 29 iul. 1905.*

[4] Giovine *l. c.* § *316. n. 3.*

[5] *S. U. I. 7 sept. 1898.*

[6] Sanchez *de matrim. lib. III. disp. 35 n. 20.*

[7] Ex nonnullis declarationibus S. C. C., quas refert Fagnanus *in tit. 3. lib. IV. Decr. n. 31 sqq.*

[8] Gasparri *l. c. n. 1134.*

electo, matrimonium cum quocumque viro aut quacumque muliere nondum certis et designatis, delegatio haec iuxta quosdam esset invalida [1]; iuxta alios [2] esset valida. In praxi idem dicendum esset, ac de proxime superiori casu diximus.

35. *Ad validitatem, quilibet usum rationis habentes testium munere fungi possunt*, etiamsi feminae vel infideles, dolo vocati, aut invite detenti [3]; at de contracto matrimonio testari posse debent, et hoc sufficit [4].

Diximus autem supra praesentiam parochi et testium debere esse simultaneam non successivam, ut communiter tradunt omnes [5]. Doctores autem hic quaerunt, an valeret matrimonium in casu, quo mulier et vir non simultanee seu praesentes una immediate post alterum, ut fieri solet, verum successive, cum aliquo scilicet temporis intervallo, coram parocho et testibus simul praesentibus, exprimerent consensum, indicantes unusquisque sine ulla incertitudine alium, quocum matrimonium vult inire. Et quamvis putent, generatim loquendo, hunc contrahendi modum fore illicitum, praesertim ex dubio, quod potest exoriri, an pars, quae prior consensum manifestavit, consensum retractaverit, antequam illum expresserit altera pars, concedunt tamen, si hoc ultimum non verificetur, matrimonium fore validum [6].

[1] De Luca *de matr. disc. III. n. 5;* Lehmkuhl *Th. mor. II. 772.*

[2] Gasparri *loc. cit. II. 1141.*

[3] Cfr. *l. 209. de verb. signif. D.* (L. 16).

[4] *S. C. P. F. ad vic. ap. Tunk. 2 iul. 1827; S. C. C. in Romana 7 mart. 1700., in Neapolitana 6 maii 1741.;* Ben. xiv *de Syn. lib. XIII. c. 23. n. 6.;* Feije *de imp. et disp. matr. n. 298.*

[5] Sanchez *de matr. lib. III. c. 41 n. 3;* Lehmkuhl *Th. mor. II. 779.*

[6] Lehmkuhl *loc. cit.;* Gasparri *loc. cit. II. 1157.* Attamen confer *S. C. P. F. ad vic. ap. Tunk. 2 iul. 1827.*

§ IV. — De poenis in contravenientes decreto tridentino.

36. Quae poena maneat contravenientes decreto.

36. Parochus vel alius sacerdos absque sufficienti numero testium, vel testes sine parocho, qui matrimonio contrahendo assisterent, nec non ipsi contrahentes graviter ex tridentino [1] ab ordinario puniendi sunt. Praeterea parochus, vel alius sacerdos, sive regularis, sive secularis sit, etiamsi id sibi ex privilegio vel immemorabili consuetudine licere contenderet, qui alterius parochiae sponsos, sine illorum parochi licentia, matrimonio coniugere aut benedicere ausus fuerit (igitur excusat ignorantia tum invincibilis, tum vincibilis, etiam crassa et supina, imo etiam affectata) ipso iure tamdiu suspensus (nempe probabilius ab officio sacerdotali tantum, non autem ab omni officio et beneficio [2]) manet, quamdiu ab ordinario eius parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur [3].

§ V. — De benedictina declaratione.

37. Quid statuerit Benedictus XIV et pro quibusnam locis. — 38. De natura benedictinae declarationis. — 39. De extensione declarationis.

37. Benedictus XIV statuit, matrimonia in foederatis Belgii provinciis inter haereticos usque tunc contracta, quaeque in posterum contraherentur, etiamsi forma a Tridentino praescripta non fuisset in eis celebrandis servata, dummodo aliud non obstaret canonicum

[1] *Loc. cit.*
[2] Sanchez *de censuris disp. XXXI sect. 3 § 6, n. 18.*
[3] Conc. trid. *loc. cit.*

impedimentum, pro validis habenda esse. Similiter pro validis habenda esse voluit in iisdem foederatis Belgii provinciis ea matrimonia, quae absque forma tridentina contraherentur a catholicis cum haereticis, sive catholicus vir haereticam feminam in matrimonium duceret, sive catholica femina haeretico viro nuberet. Haec omnia extendi voluit idem Pontifex ad similia matrimonia extra fines eorumdem foederatorum ordinum contracta ab iis, qui addicti essent legionibus seu militaribus copiis, quae ab iisdem foederatis ordinibus transmitti solebant ad custodiendas muniendasque arces conterminas, vulgo dictas *di barriera,* dummodo uterque coniux ad easdem copias sive legiones pertineret. Voluit praeterea Pontifex, hanc declarationem complecti etiam civitatem Mosae Traiectensis a republica foederatorum ordinum tunc non iure dominii, sed oppignorationis nomine possessam. Ben. XIV. pro Hollandia *4 novembr. 1741.*

Quum autem nonnulla dubia exorta progressu temporis fuerint circa personas, quae declaratione hac Benedictina comprehenderentur, res proposita fuit Congregationi S. Officii, quae statuit, ea declaratione comprehendi: « 1°. Illos, qui catholice baptizati a pueritia nondum septemnali in haeresi educantur ac haeresim profitentur. 2°. Qui non tam in haeresi, quam ab haereticis educantur, nulla scilicet, vel vix ulla haereticae doctrinae instructione accepta, et cultu non frequentato, licet aliquoties participato. 3°. Qui adhuc pueri in manus haereticorum incidentes, haereticae sectae adiunguntur. 4°. Apostatas ab ecclesia catholica ad haereticam sectam transeuntes. 5°. Qui nati et baptizati ab haereticis adoleverunt, quin ullam solemnem haereseos professionem emiserint, ac veluti nullius religionis... » *S. U. I. 6 apr. 1859.* Ex his patet, catholicum, qui se protestantem aut apostatam tantummodo simularet, non comprehendi benedictina declaratione [1].

[1] *S. U. I. 17 nov. 1875.*

38. Haec benedictina declaratio, ut ipsum nomen indicat, et sententia non paucorum theologorum et canonistarum confirmat, fuit simplex quaedam declaratio, non proprie dicta legis tridentinae derogatio [1], Attamen nonnulli putant, eam, quamvis principaliter fuerit declaratio, admixtam tamen habuisse aliquam speciem verae dispensationis [2].

39. Declaratio haec benedictina extensa est a S. Sede, quae una hoc idem praestare potest, ad aliam etiam loca, quorum elenchum habes infra.

VI. — De promulgatione decreti.

40. Loca, in quibus decretum publicatum fuit; loca, in quibus pubblicatum non fuit; loca, in quibus dubitatur an publicatum fuerit; loca, ad quae ex indulto S. C. extensa est declaratio benedictina; loca, in quibus derogatum est decreto tridentino quoad matrimonia mixta.

40. Restat, ut indicemus quibusnam in locis vigeat, vel non vigeat decretum « Tametsi »; et ad quas regiones declaratio Benedictina ex S. Sedis indulto extensa sit. Quamvis omni ex parte accuratus catalogus, confici non possit, et proinde unusquisque debeat attendere disciplinam in loco vigentem, dabimus tamen catalogum confectum a cl. Zitelli (*App. iuris eccl. cit.*) cum notis ab ipso appositis, quas asterisco adnotabimus: nonnullis animadversis et additis, quae ad rem facere videntur.

[1] B. P. *VI. 824;* Gasparri *de matr. II. 1188.*

[2] De Angelis *in tit. 3. lib. IV. Decr. n. 8.;* Santi *in eumd. tit. n. 62 sqq.*

Elenchus locorum, in quibus tridentinum decretum de matrimoniis clandestinis publicatum est, et eorum in quibus publicatum non est.

I.

Loca in quibus decretum publicatum fuit.

EUROPA.

1. Italia universa et insulae adiacentes [1]
2. Galliae universae [2].
3. Hispaniarum regna [3].
4. Lusitaniae regnum [4].
5. Poloniae regnum [5].

[1] * Ut notum est ex more ubique recepto de celebrandis coniugiis iuxta formam a Tridentino praescriptam. * Quoad insulam Melitensem SS. DD. Leo XIII. per decretum S. C. super Negot. Eccl. Extraord. *die 12 ian. 1890*, statuit: matrimonia inita vel ineunda ab iis omnibus, qui catholicam profitentur religionem, sive quod uterque contrahens sit catholicus, sive quod alter sit catholicus alter heterodoxus, valida non esse, nisi celebrata fuerint iuxta formam a S. Conc. Trid. praescriptam; eos vero, qui diversum a catholico cultum profitentur, valide contrahere posse matrimonium inter se, etiamsi formam Concilii Tridentini non servent, dummodo ceteroquin aliud non obstet canonicum dirimens impedimentum. Die vero *3 iun. 1892* idem SS. DD. Leo XIII per decretum S. Univ. Inquisitionis declaravit et statuit, matrimonia haereticorum inter se, non servata forma Concilii Tridentini, in insula Melitensi eo usque contracta pro validis habenda esse, nisi aliud obstiterit canonicum impedimentum.

[2] * Statim a celebratione eiusdem Concilii. * Excipiendus est in dioecesi Vesontina (Besançon) antiquus principatus Montbéliard; attamen catholici harum regionum ex consuetudine tenentur decreto tridentino. GASPARRI *de matr. All. VI.*

[3] * Philippo II imperante. Gibraltariae tamen valent matrimonia haereticorum et mixta. *

[4] * Opera piissimi regis Sebastiani. *

[5] * Ex Senatus ac regis Sigismundi decreto. *

6. Archiducatus Austriacus et provinciae eidem adnexae [1].

7. Silesia superior et inferior [2].

8. Bohemia [3].

9. Moravia [4].

10. Hungaria [5].

11. Moldavia [6].

12. Valachia [7].

13. Ulmia [8].

14. Tres Electoratus: Coloniensis, Moguntinus, Trevirensis [9].

15. Ducatus Cliviensis [10].

16. Bavaria [11].

17. Franconia [12].

18. Palatinatus Neoburgicus.

[1] * Sub Imperatore Maximiliano eiusque successoribus. *

[2] * Praesertim vero in superiori: quae provincia nunc magna ex parte subest Borussiae. * Imo ex constitutione " Provida „ Pii PP. X. *18 ian. 1906* iam adnumerandum est a die 15 aprilis eiusdem anni 1906 universum hodiernum Imperium Germanicum pro matrimoniis catholicorum inter se.

[3] * Prout fidem faciunt litterae anni 1626 ad Congr. S. Officii. *

[4] * Ut constat ex actis S. O. 11 maii 1633. *

[5] * Universim, si nonnullas excipias peculiares regiones, ut aliqui contendunt. * Cfr. relationem episcopi Rosnaviensis ad S. Sedem *20 febr. 1779* apud Roskovány *de matr. mixtis II. pag. 535.*

[6] * Publicatum tamen fuit inter catholicos; adeoque non in ecclesiis schismaticorum, quorum illa provincia referta est. *

[7] * In ecclesiis tantum catholicorum, nec fortasse in omnibus. *

[8] * Quae urbs nunc subest ditioni Regis Würtembergensis. *

[9] * Qui postea maxima ex parte cesserunt regno Borussiae. Publicatum etiam fuit in Monasteriensi diocesi sub eiusdem regni dominio. *

[10] * Sub rege Borussiae. *

[11] * Saltem in primitivis regni huius nominis provinciis. Etenim post annum 1805 novae quoque regiones protestanticae Bavariae accesserunt. * Gasparri ex Weber plura enumerat loca Bavariae, in quibus publicatum non erat ante Constitutionem " Provida „.

[12] * Ut constat ex decreto Sacr. Congr. Conc. 4 aug. 1743. *

19. Ducatus Limburgi, Harlemii ac Mosae Traiectinae [1].

20. Hollandia, Zelandia, Frisia et foederatae Belgii provinciae [2].

21. Magnus Ducatus Luxemburgensis [3].

22. Urbis Genevensis [4].

23. Insula Tine archipelagi [5].

24. Archipelagus totum [6].

25. Constantinopolis ac suburbium Perae [7].

[1] * Ex actibus S. O. 1 iul. 1843. *

[2] * Ubi ante defectionem a Philippo II fuisse publicatum refert Wex. *

[3] * Ex actibus S. O. ann. 1845. * Addit Gasparri (*loc. cit.*) provinciam Posnaniensem, Vestphaliam, Borussiam rhenanam, partem provinciarum Hesse-Nassau et Hohenzollern. Etiam in ducatu Badensi vim habet ex consuetudine pro catholicis iuxta Gasparri (*de mater. All. VI*), exceptis iis locis, in quae protestantismus a Margraviis inductus est.

[4] * Ex actibus S. O. ann. 1845 * Gasparri tamen asserit ex Broquet (*Les mariages clandestins à Génève, 1886*), in urbe Genevensi decretum non fuisse publicatum, et dicit publicatum esse solummodo in iis locis pagi Genevensis (*Cantone di Ginevra*), quae a Gallia vel a Sabaudia avulsa Helvetiae addicta sunt ex tractatu anni 1815. Gasparri praetarea dicit (*de matrim. All. VI*), decretum vim habere in pagis (*Cantoni*) Schwytz, Uri, Unterwalden, in principatu Liechtenstein, in omnibus pagi Rhetorum (*Cantone dei Grigioni*) catholicis parochiis (exceptis novis parochiis Davos et Hany), et probabiliter etiam in parochiis catholicis Glaronae (*Glaris*). In parochiis protestantibus pagi Rhetorum et Glaronae et in universo pago Tigurino (*Canton di Zurigo*), exceptis parochiis exclusive catholicis Rheinau et Dieticon, decretum vim non habet. Etiam in nonnullis parochiis dioecesis Basileensis publicatum fuit decretum " Tametsi „ ; sed difficile est adamussim stabilire limites regionum, in quibus publicatio facta est. Matrimonia protestantium ibidem habentur ut valida. In dioecesi Sancti Galli decretum tridentinum pro catholicis viget ex consuetudine. (*Cfr. relat. episcopi S. Galli ad S. Sedem 9 sept. 1877 apud Gasparri l. cit.*) In dioecesi Sedunensi (*Sion o Sitten*) Vallesia (*Cantone di Valais*) tenetur decreto, nex eximuntur protestantes. Publicatum est etiam decretum in omnibus parochiis catholicis dioecesis Lausanensis ; et in pago Ticinensi (*Canton Ticino*)

[5] * Ex iisdem. *

[6] * In ecclesiis catholicis. *

[7] * In ecclesiis catholicis pro latinis tantum. *

26. Omnes Hiberniae dioeceses [1].
27. Provinciae Imperii Russiaci, nonnullis exceptis.
28. Ruthenia [2].

ASIA

1. Indiae Orientales ac nominatim Goana archidioecesis, et dioeceses suffraganeae [3].
2. Ora Malabarica [4].
3. Vicariatus Pondicheriensis ac universa ora Coromandelica [5].
4. Calcutiae [6].
5. Regio Bombayensis [7].
6. Plures Imperii Sinensis provinciae [8].
7. Tunchinum Orientale [9].

[1] * Hoc videre est ex testimonio arch. Dubl. 8 mart. 1866 dato occasione causae tractatae in S. Congr. Concilii. * Sed publicatum est pro catholicis tantum, ex testim. citato. Cfr. Gasparri *de matr. All. VI.*

[2] * Ex S. O. ann. 1835. *

[3] * Ex decreto S. C. de P. F. 4 septembris 1764. *

[4] * Ex Congr. S. O. 6 apr. 1669. *

[5] * Ex decreto S. O. 1845. *

[6] * Illuc etiam extensa fuit declaratio Bened. XIV., quae publicationem supponit. *

[7] * Illuc enim extensa fuit benedictina declaratio. *

[8] * Ad instantiam vicariorum apostolicorum utriusque Tunkini, orientalis et occidentalis, Sutchuensis et Cocincinae data est instructio a S. C. de Prop. Fide pro Sinis ac regnis adiacentibus ann. 1821. Iuxta hanc instructionem promulgatum est in Sinis pluribus in locis decretum tridentinum. Verum ob difficultates obortas ob eiusmodi publicationem ulterior promulgatio suspensa est. Post haec nova instructio ab eadem sacra congregatione ad eosdem directa est, qua probabatur publicationis suspensio, et interea missionarii se gererent ad normam earum praescriptionum, quae datae sunt vicario apostolico Tunchini orientalis. *

[9] * Pluribus in locis primum fuit ex parte publicatum hoc decretum, nempe quoad necessitatem solum duorum aut trium testium, non autem quoad parochi praesentium. Deinde vero absolute ac integrum hoc ipsum decretum publicatum est. *

8. Iaponia [1].
9. Batavia [2].
10. Georgia.
11. Loca Terrae Sanctae [3].
12. Smyrne in Anatolia [4].

AFRICA

1. Tripolis in Barbaria [5].
2. Iulia Caesarea et Tunetum [6].
3. Dioecesis S. Dionysii (Insula Reunionis).

AMERICA

1. Regiones omnes, quae sub ditione quondam fuerunt Hispanorum sive Lusitanorum [7].

[1] Sed quum persecutio ante plura secula esset exorta, declaratum esse, matrimonia, non obstante legis tridentinae promulgatione, ob penuriam sacerdotum valere sine parochi assistentia, ait Lehmkuhl (*Th mor. II. 786.*) Verum S. Congr. S. Officii ad vic. ap. Iaponiae *11 mart 1868* affirmavit decretum tridentinum « Tametsi » ea in regione suum valorem amisisse. Cfr. Coll. S. C. P. F. in 1408.

[2] * Ex rescripto Sacr. Congr. de Prop. Fide ann. 1823. * Haec proprie pertinet ad Oceaniam, et est urbs caput insulae Iavae. Decretum in provincia ecclesiastica Australiae non viget, teste Feije *l. c. n. 333* ex Conc. prov. Australiensi I.° a. 1844.

[3] * Publicatum est in ecclesiis Latinorum.

[4] * Ex actis S. C. de P. F. Apud Maronitas viget clandestinitatis impedimentum, non quidem vi publicationis tridentini decreti sed vi apostolicae approbationis in forma specifica omnium decretorum Synodi provinc. Maronit. in Monte Libano celebratae anno 1736. *

[5] * Ex actis Congr. de Prop. Fide a. 1802. *

[6] Iuliae Caesareae seu Algeriae viget tamen pro solis catholicis. Feije *l. c. n. 333.*

[7] * Vicarius apostolicus Arizonensis quaesivit, utrum pro tota regione, quae sub regimine hispanico exstitit, tamquam promulgatum censeri debeat Concilium, an solum pro ea parte regionis, quae tunc tem-

2. Regnum Mexicanum [1].
3. Curaçao [2].
4. Insula SS.mae Trinitatis.
5. Canada [3].
6. Urbs et dioecesis Quebecensis [4].
7. Provincia Neo-Aurelianensis.
8. Provincia S. Francisci, excepta ea parte territorii Utah, quae iacet ad orientem fluminis Colorado.
9. Provincia S. Fidei, excepta parte septemtrionali territorii Colorado.
10. Dioecesis Vincennopolitana.
11. Civitas S. Ludovici.
12. Loca dicta S. Genovephae, S. Ferdinandi et S. Caroli, archidioecesis S. Ludovici.
13. Loca dicta Kaskaskia, Cahokia, French Village [5] et Prairie du Rocher, dioec. Altonensis.
14. Paroecia civitatis Detroitensis.

poris incolas habebat. Porro S. O. die 23 ian. 1882 (in Coll. S. C. P. F. habetur dat. 30 ian. 1884.) respondit: affirmative ad 1^{am} partem: negative ad 2^{am}. * Idem responsum nuper habitum est pro nova paroecia Portus de Limon in dioecesi de Costa Rica. *S. U. I. 23 novembris 1898.* Cfr. ea, quae dicta sunt supra n. 10.

[1] Idest non solum territorium recentis Reipublicae Mexicanae, sed universum quoque territorium, quod iamdiu sub hispanica ditione fuit.

[2] « Legem vero tridentinam ibidem obliteratam esse authentica declaratione habemus. Lehmkuhl *II. 552.* Cette réponse est de 1851 (Mansella l. c.) ». Ita Gasparri (*de matr. All. VI*). sed Mansella nil habet

[3] * Praesertim inferior ex Declarationis extensione. Pro dioecesi S. Hyacinthi Suprema Universalis Inquisitio ad dubium propositum, an valida fuerit promulgatio decreti " Tametsi » Concilii Tridentini facta in missionibus et quasi paroeciis illius dioecesis, die 14 novembris 1883 respondit: Iuxta exposita affirmative. *

[4] * Saltem ex parte. *

[5] Viget etiam in locis pagis et vicis East St. Louis Centreville. Station etc., qui in territorio locorum Cahokia et French Village exorti. sunt. *Litt Card. Ledochowski S. C. P. F. Praefecti 15 apr. 1901.*

II.

Loca in quibus decretum publicatum non fuit.

EUROPA

1. Anglia.
2. Scotia.
3. Borussia [1].
4. Pomerania [2].
5. Saxonia, Hassia, Hannover, Würtemberg [2].
6. Argentoratum [2].
7. Helvetiae plures pagi, inter quos Tigurum [2].
8. Dania [2].
9. Suecia [2].
10. Norvegia [2].
11. Regiones schismaticorum et haereticorum sub ditione Turcica aliorumque infidelium [2].

[1] * Presse sumpta. * Gasparri *de matr. II. 1183*, asserit ultimis hisce annis in civitate Berolinensi decretum publicatum fuisse, et optimo iure defendi hanc publicationem factam fuisse pro solis catholicis.

[2] * Harum omnium regionum una eademque est ratio, quia longe ante annum 1563, quo editum est Concilii Tridentini decretum, iam defecerant per apostasiam a fide catholica; imo nonnullae ante annum 1545, quo convocatum fuit Concilium, haereseos veneno iam infectae erant. Helvetia iam ab anno 1519; Würtemberga eodem fere tempore ac universa Saxonia; Suecia ab anno 1523; item Dania, et sic plus minus reliquae regiones ab Ecclesia Christi separatae sunt. * In Dania catholicos decretum tridentinum observare asserit Gasparri *de matr. All. VI.* Addit etiam, moraliter certum esse, numquam fuisse publicatum in plerisque parochiis catholicis dioecesis Hildesheimensis. Attamen in regno Würtembergico obtinere ex consuetudine in omnibus parochiis catholicis tradit idem Gasparri ex Weber. Idem tradit de territorio Budissae in Saxonia, et de Magno Ducatu Hassiae. At in Magno Ducatu Mecklembourg-Schwerin, Mecklembourg-Strelitz, Oldenbourg, Saxoniae-Weimar, in Ducatu Saxoniae-Meiningen, Saxoniae-Cobourg-Gotha, Saxoniae-Altenbourg, Brunsvigae (*Brunswick*), Anhalt, in Prin-

12. Archidioecesis Athenarum et tota delegatio Apostolica Graeciae [1].

ASIA

1. Vicariatus Sutchuensis.
2. Regiones orientales generatim sub ditione Turcica et Persica constitutae [2].

AFRICA

1. In Abyssinia non viget lex tridentina [3].
2. In insula Madagascar publicatum non fuit decretum.

AMERICA

1. Provincia ecclesiastica Baltimorensis [4].
2. Philadelphiensis.
3. Neo-eboracensis.
4. Bostoniensis.
5. Oregonensis.
6. Milwaukiensis.

cipatu Schwarzbourg-Rudolstadt, Schwarzbourg-Sondershausen, Waldeck, Reuss, Lippe-Detmold, Schaumbourg-Lippe, Lubeci, Bremae, Hamburgi publicatum non est; quamvis, adnotat Gasparri, in pluribus parochiis catholicis locorum supra enumeratorum post Mecklembourg-Strelitz vim habeat ex consuetudine. In dioecesi Metensi viget ex Gasparri in omnibus parochiis catholicis; idem dicendum de dioecesi Argentinensi (*Strasbourg*).

[1] * Populus autem, hac de re ignarus, nulla credit matrimonia clandestina. *

[2] * Ex Congr. S. O. *

[3] * Ex litteris datis ad S. C. de P. F. ann. 1840. *

[4] * Ex litteris 13 dec. 1817. S. C. de P. F. *

7. Cincinnatensis. excepta dioecesi Vincipolitana.
8. S. Ludovici [1].
9. Chicagiensis [2].

III.

Loca in quibus dubitatur an publicatum fuerit.

EUROPA

1. Brema [3].
2. Valachia fere tota [4].
3. Bulgaria [5].

Heic adiicimus ea loca Europae, in quibus, quamvis non constet de tridentini decreti promulgatione, tamen servatur ut Concilii decretum ab immemorabili; quo fit, ut legitima quidem seu valida habeantur illic celebrata connubia sive a schismaticis aut haereticis inter se, sive connubia mixta, nulla vero ac irrita sint matrimonia catholicorum, non servata forma tridentina. Talia sunt:

1. Transilvania, ac praecipue dioecesis Fogaras a Pio IX erecta in archidioecesim, Albae Iuliae nomine, in qua degunt graeci uniti commixti graecis schismaticis.
2. Bulgaria. Valachia, nominatim vero Bukarest.
3. Albaniae et Serviae dioeceses.

Cfr. Conc. Albanum ann. 1705 celebratum, et aliud celebratum anno 1871 part. II. capitulo 8.

[1] * Exceptis civitate S. Ludovici et aliis quibusdam locis supra nominatis. *

[2] * Exceptis locis quibusdam dioecesis Altonensis supra indicatis *

[3] * In Circulo Saxoniae inferioris, post Congressum Viennensem anno 1815, libera declarata. *

[4] * Ex Sacra Congr. Prop. Fidei. *

[5] * Praecipue in dioecesi Sophiae ex decreto S. O. 31 aug. 1758. *

ASIA

1. Syria [1].
2. Insula Cypri.
3. Ora Malabarica sub aliquo respectu [2].

AFRICA

1. Promontorium Bonae Spei [3].

AMERICA

1. Universa dioecesis Detroitensis, excepta una paroecia civitatis Detroit.
2. California superior [4].
3. Dioecesis ac provincia Quebecensis in Canada superiore [5].

[1] * Ex actis S. Congr. de Prop. Fide. *

[2] * In Congr. de Prop. Fide ann. 1764 die 4 sept. relatum est, non constare sufficienter de promulgatione Concilii Tridentini in Malabaria, quia, licet fuerit ab archiepiscopo Goano acceptatum decretum in quadam synodo, tamen non fuerat publicatum lingua syriaca aut malabarica: quapropter revocabatur decretum S. Congr. Conc. 1673. *

[3] * Ex decr. S. O. 22 iul. 1840. *

[4] * Ex Congr. S. O. 1853. sola praesumptio habebatur de promulgatione decreti, eo quod a missionariis Hispanis illuc fides delata fuerat. Ast adhuc desideratur certitudo. *

[5] Gasparri dicit, se ignorare, utrum dicendum sit decretum vigere in Guyana Gallica, in insula Guadalupensi, in insula Martinicensi et in insula S. Dominici, an non. Quare res est dubia.

Index locorum, quibus ex S. Sedis indulto extensa est declaratio Bened. XIV de matrimoniis Hollandiae.

EUROPA

1. Foederati ordines Belgii [1].

Iuxta enumerationem, quae fit ab auctoribus, huc pertinent ex Hollandia 1) tota hodierna dioecesis Harlemensis; 2) Ultraiectensis, excepto forsan Wehl; 3) Buscoducensis, exceptis Boeckel, Deemen, Dennenburg, Deursen, Herpen, Huisseling, Overlangen, Ravensteyn, Reek, Uden, Schayk, Velp, Volkel, Zeeland, Haren, Macharen, Megen, Teeffelen, Bokhoven, Gemert, Boxmeer, pago S. Antonii, et fortasse etiam exceptis Luiksgestel et Oeffelt; 4) tota Dioecesis Bredana.

2. Civitas Traiecti ad Mosam (Maastricht) in dioecesi Ruremondensi [2].

[1] * N. B. Praeterea similia matrimonia Benedictus XIV dixit valida esse etiam contracta extra fines dominii eorumdem foederatorum Ordinum ab iis, qui addicti sunt militaribus copiis, quae ab iisdem foederatis Ordinibus transmitti solent ad custodiendas muniendasque arces conterminas: dummodo uterque coniux ad easdem copias pertineat. Erant autem Namurcum, Tornacum, Iprae, Menenae, Furnae, Warneton, Knocke, Teneramunda. *

[2] Gasparri (*de matr. All. VI.*) citat ad hoc declarationem S. U. I. *12 aug. 1826.* * Quamvis non iure dominii sed oppignorationis tantum a republica foederatorum Ordinum possessa. Ubi animadvertendum est, per epistolam decretalem eiusdem Pontificis ad P. Paulum Carmelitam excalceatum in iisdem provinciis missionarium, quae incipit " *Redditae sunt* „ sub die 17 septembris 1745 edictum esse, huiusmodi declarationem non suffragari sponsis utrisque catholicis ibidem degentibus, si coram civili magistratu aut haeretico ministro consensum in matrimonium de praesenti emiserint, nec illud ad formam tridentini contraxerint, aut post contractum more haereticorum, consensum coram ecclesia non renovaverint. *

3. Suburbium S. Petri prope Traiectum ad Mosam [1].
4. Vratislavia [2].
5. Dioecesis Culmensis [3].
6. Poloniae pars, quae ab anno 1870 in Borussiaci Regni ditionem venit [4].
7. Ducatus Cliviensis [5].
8. Costantinopolis eiusque suburbia [6].

ASIA

1. Pondicherium [7].
2. Ora Coromandelica [8].
3. Ora Malabarica [9].
4. Bombay [10].

[1] * Ex Congr. S. O. ann. 1844. Die 28 febr. facta fuit extensio ad cautelam declarationis tam Benedictinae, quam Leoninae una cum sanatione quoad praeteritum. *

[2] * Anno 1765, ex quo sub ditione Borussiae exstitit, ex actis S. Congr. de Prop. Fide. * Ex decreto 21 septembr. 1877, extensa est declaratio Benedictina omnibus partibus postea huic dioecesi adnexis. (Gasparri *l. c.*).

[3] Addenda est ex Gasparri archidioecesis Gnesnensis et Posnaniensis. Cfr. etiam responsionem S. U. I. *6 septembris 1876* apud eumdem.

[4] Gasparri addit archidioecesim Coloniensem, dioeceses Trevirensem, Paderbornensem et Monasteriensem (ex decr. Pii VIII *30 mart. 1830*), dioecesim Limburgensem (ex decr. S. U. I. *15 maii 1854*), Varmiensem (ex decret. S. U. I. *ann. 1853*).

[5] * Regno Borussiae obnoxius ann. 1795. * Gasparri ad hoc citat decret. Pii VI. *19 iun. 1793.*

[6] * Quamvis enim Benedictina declaratio non fuerit illuc expresse extensa, aequivalenter idem constitutum est quoad illa loca, in quibus publicatum fuerat Concilium Tridentinum, dum valida, quamvis illicita, contracta illic matrimonia edicuntur. Ex decr. S. Off. *20 aug. 1769.* *

[7] * Anno 1833. *

[8] * Anno 1831. Ex litteris S. C. de Prop. Fide, ex quibus etiam habetur anno 1831 extensam fuisse declarationem ad colonias gallicas. *

[9] * Sub ditione quondam Hollandiae anno 1765; ex actis Congr. de Prop. Fide. *

[10] * Ex quo subesse coepit ditioni Societatis ab Indiis nuncupatae anno 1761. * Addi debet iuxta Gasparri Calcutium (*Calcutta*) et Bengalas occidentale ex decret. S. U. I. *12 sept. 1838.*

AMERICA

1. Canada [1].
2. Insula SS. Trinitatis [2].
3. Dioecesis S. Antonii.
4. Galvestonensis [3].
5. Vicariatus Apostolicus Brownsvillensis.
6. Archidioecesis Neo-Aurelianensis [4].
7. Dioecesis Natchitochensis.
8. Dioecesis Petriculana.
9. Dioecesis Mobiliensis.
10. Provincia S. Francisci cum territorio Utah.
11. Dioecesis Vincennopolitana provinciae Cincinnatensis.
12. Archidioecesis S. Ludovici [5].
13. Dioecesis Altonensis [6].

Elenchus locorum, in quibus derogatum est decreto Concilii Tridentini relate ad matrimonia mixta.

EUROPA

1. Bavaria [7].

[1] * Ex quo ad britannicam ditionem pertinere coepit. *

[2] * Ann. 1825. *

[3] * S. O. 23 nov. 1885. *

[4] Ex decr. S. U. I. *9 sept. 1824.*

[5] * Quoad partes, in quibus viget decretum " Tametsi „. *

[6] * In locis, in quibus idem decretum obtinet. *

[7] * Matrimonia acatholicorum et mixta generaliter ut valida habentur a clero, probabiliter innixo verbis instructionis datae ab Apostolica Sede ac typis editae die 12 sept. 1834, in qua habetur: " Si ex temporum, locorum ac personarum conditione matrimonium acatholici viri cum catholica muliere et vicissim, absque maioris mali scandalique periculo in religionis perniciem interverti non possit, tunc sane ad ma-

2. Hungaria [1].
3. Hibernia [2].
4. Universum Imperium Russiacum, et Regnum Poloniae eidem subiectum [3].

iora mala et scandala praecavenda abstinendum erit a catholico coniuge censuris nominatim expressis corripiendo, imo vero tolerandum, ut a parocho catholico tum consuetae proclamationes fiant, omni tamen praetermissa mentione religionis illorum, qui nuptias sunt contracturi ut etiam de factis proclamationibus litterae mere testimoniales concedantur, in quibus (si nullum adsit dirimens impedimentum) unice enuncietur, nil aliud, praeter vetitum ecclesiae impedimentum mixtae religionis, matrimonio conciliando obstare, nullo prorsus addito verbo, ex quo consensus aut approbationis vel levis suspicio sit oritura. Quod si in ecclesiae utilitatem et commune animarum bonum cedere posse dignoscatur, nuptias quamtumlibet illicitas et vetitas coram parocho catholico, potius quam coram ministro haeretico, ad quem partes facile confugere possent, celebrari, tunc ipse parochus catholicus aliusve sacerdos eius vices agens poterit iisdem nuptiis, materiali tantum praesentia, excluso quovis ecclesiastico ritu, adesse „.* Nunc autem non solum in Bavaria, sed in universo Imperio Germanico matrimonia tum mixta tum mere acatholica seu haereticorum vel schismaticorum inter se valida certo sunt ex constitutione " Provida „ Pii PP. X 18 ian. 1906, qua imo edicta sunt valida huiusmodi matrimonia etiam antea contracta.

[1] * Ex Instr. data die 30 apr. 1841 a S. C. Negot. Extr. Eccl., in qua dicitur: " Quod autem attinet ad connubiorum istorum (mixtorum) coram acatholico ministro, seu *non servata Conc. Trid. forma*, celebrationem.., inspectis tam praeteritis quam praesentibus *locorum, de quibus sermo est,* peculiaribus circumstantiis, erunt ab episcopis et a parochis *prudenter dissimulanda, et quamvis illicita pro validis habenda*, nisi tamen canonicum aliunde officiat dirimens impedimentum „.*

[2] * Ex decr. Congr. S. O. 1785 mense martio (decretum est diei 19 mart. 1795): " Sanctissimus, auditis etc. decrevit matrimonia mixta in Hibernia contracta et contrahenda, non servata forma Conc. Tridentini in iis locis, in quibus decretum eiusdem Concilii forsan fuit promulgatum, alio non concurrente canonico impedimento, quamvis illicita, habenda tamen esse uti valida, idque significandum archiepiscopis et episcopis „.*

[3] * Ex Congr. Neg. Extr. Eccl. decretum est a. 1844: " Respondendum *oretenus* matrimonia *mixta*, quae in *Russiaco imperio* et in *Regno Poloniae* inita sint praeter formam a Tridentino Concilio praescriptam, esse prudenter dissimulanda, et quamvis illicita, pro validis habenda, nisi tamen aliud obstet canonicum dirimens impedimentum „.* Decla-

5. Provinciae Rhenanae sub ditione Borussica [1].
6. Georgia [2].

ratio Benedictina extensa est ad Poloniam russicam a Pio VI die 2 mart. 1780. Lehmkuhl *Th. mor. II. 785.*

[1] * Ex Brevi Pii VIII ad episc. Borussiae Rhenanae ann. 1830. *

[2] * Ex Congr. S. O. ann. 1845. Dubio siquidem excitato, num non modo tamquam illicita, sed praeterea tamquam invalida haberi deberent matrimonia contracta ex una parte catholica, ex altera autem russica, coram ministro haeretico, ubi contrahentes vi legum educare liberos tenentur in religione schismatica, respondit: " Matrimonia, de quibus agitur, tametsi sint illicita, tamen ut valida habenda esse „. * R. D. Pompili in voto quoad quaedam dubia circa decretum " Ne temere „ discussa a S. Congr. Concilii die 1 febr. huius anni 1908 putat exinde non deduci extensionem declarationis Benedictinae; sed evidenter in responso applicatum fuisse principium individuitatis contractus. — His locis addit Pompili *loc. cit.* concessionem factam dioecesi Basileensi die 1 iulii anni 1890.

PARS SECUNDA

DE IURE PIANO

DECRETUM DE SPONSALIBUS ET MATRIMONIO IUSSU ET AUCTORITATE SS. D. N. PII PAPAE X A S. CONGREGATIONE CONCILII EDITUM 2 AUG. 1907.

Ne temere inirentur clandestina coniugia, quae Dei Ecclesia iustissimis de causis semper detestata est atque prohibuit, provide cavit Tridentinum Concilium *cap. 1. sess. XXIV de reform. matrim.* edicens : « Qui aliter quam praesente pa-« rocho vel alio sacerdote de ipsius parochi seu ordinarii li-« centia et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere « attentabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omnino « inhabiles reddit, et huiusmodi contractus irritos et nullos « esse decernit ».

Sed cum idem Sacrum Concilium praecepisset, ut tale decretum publicaretur in singulis paroeciis, nec vim haberet nisi iis in locis ubi esset promulgatum ; accidit ut plura loca, in quibus publicatio illa facta non fuit, beneficio tridentinae legis caruerint, hodieque careant, et haesitationibus atque incommodis veteris disciplinae adhuc obnoxia maneant.

Verum nec ubi viguit nova lex, sublata est omnis difficultas. Saepe namque gravis exstitit dubitatio in decernenda persona parochi, quo praesente matrimonium sit contrahendum. Statuit quidem canonica disciplina, proprium parochum eum intelligi debere, cuius in paroecia domicilium sit, aut quasi domicilium alterutrius contrahentis. Verum quia nonnumquam difficile est iudicare, certo ne constet de quasi-domicilio, haud pauca matrimonia fuerunt obiecta periculo ne nulla essent :

multa quoque, sive inscitia hominum sive fraude, illegitima prorsus atque irrita deprehensa sunt.

Haec, dudum deplorata, eo crebrius accidere nostra aetate videmus, quo facilius ac celerius commeatus cum gentibus, etiam disiunctissimis, perficiuntur. Quamobrem sapientibus viris ac doctissimis visum est expedire ut mutatio aliqua induceretur in iure circa formam celebrandi connubii. Complures etiam sacrorum antistites omni ex parte terrarum, praesertim e celebrioribus civitatibus, ubi gravior appareret necessitas, supplices ad id preces Apostolicae Sedi admoverunt.

Flagitatum simul est ab episcopis, tum Europae plerisque, tum aliarum regionum, ut incommodis occurreretur, quae ex sponsalibus, idest mutuis promissionibus futuri matrimonii privatim initis, derivantur. Docuit enim experientia satis, quae secum pericula ferant eiusmodi sponsalia: primum quidem incitamenta peccandi causamque cur inexpertae puellae decipiantur; postea dissidia ac lites inextricabiles.

His rerum adiunctis permotus SS.mus D. N. Pius PP. X pro ea, quam gerit omnium Ecclesiarum, sollicitudine, cupiens ad memorata damna et pericula removenda temperatione aliqua uti, commisit S. Congregationi Concilii ut de hac re videret, et quae opportuna aestimaret, Sibi proponeret.

Voluit etiam votum audire Consilii ad ius canonicum in unum redigendum constituti, nec non eorum Cardinalium, qui pro eodem codice parando speciali commissione delecti sunt: a quibus, quemadmodum et a S. Congregatione Concilii, conventus in eum finem saepius habiti sunt. Omnium autem sententiis obtentis, SSmus Dominus S. Congregationi Concilii mandavit, ut decretum ederet quo leges a Se, ex certa scientia et matura deliberatione probatae, continerentur, quibus sponsalium et matrimonii disciplina in posterum regeretur, eorumque celebratio expedita, certa atque ordinata fieret.

In exsecutionem itaque Apostolici mandati S. Concilii Congregatio praesentibus litteris constituit atque decernit ea, quae sequuntur.

De sponsalibus.

I. — Ea tantum sponsalia habentur valida et canonicos sortiuntur effectus, quae contracta fuerint per scripturam subsignatam a partibus et vel a parocho, aut a loci ordinario, vel saltem a duobus testibus.

Quod si utraque vel alterutra pars scribere nesciat, id in ipsa scriptura adnotetur, et alius testis addatur, qui cum parocho, aut loci ordinario, vel duobus testibus, de quibus supra, scripturam subsignet.

II. — Nomine parochi hic et in sequentibus articulis venit non solum, qui legitime praeest paroeciae canonice erectae; sed in regionibus, ubi paroeciae canonice erectae non sunt, etiam sacerdos, cui in aliquo definito territorio cura animarum legitime commissa est, et parocho aequiparatur; et in missionibus, ubi territoria necdum perfecte divisa sunt, omnis sacerdos a missionis moderatore ad animarum curam in aliqua statione universaliter deputatus.

De matrimonio.

III. — Ea tantum matrimonia valida sunt, quae contrahuntur coram parocho vel loci ordinario vel sacerdote ab alterutro delegato, et duobus saltem testibus, iuxta tamen regulas in sequentibus articulis expressas, et salvis exceptionibus, quae infra n. VII et VIII ponuntur.

IV. — Parochus et loci ordinarius valide matrimonio assistunt:

§ 1°. a die tantummodo adeptae possessionis beneficii vel initi officii, nisi publico decreto nominatim fuerint excommunicati vel ab officio suspensi;

§ 2°. intra limites dumtaxat sui territorii: in quo matrimoniis nedum suorum subditorum, sed etiam non subditorum, valide assistunt;

§ 3°. dummodo invitati ac rogati, et neque vi neque metu gravi constricti requirant excipiantque contrahentium consensum.

V. Licite autem assistunt:

§ 1° constito sibi legitime de libero statu contrahentium, servatis de iure servandis;

§ 2°. constito insuper de domicilio, vel saltem de menstrua commoratione alterutrius contrahentis, in loco matrimonii;

§ 3°. quod si deficiat, ut parochus et loci ordinarius licite matrimonio adsit, indigent licentia parochi vel ordinarii proprii alterutrius contrahentis, nisi gravis intercedat necessitas, quae ab ea excuset;

§ 4°. Quoad *vagos*, extra casum necessitatis parocho ne liceat eorum matrimoniis assistere, nisi re ad ordinarium vel ad sacerdotem ab eo delegatum delata, licentiam assistendi impetraverit;

§ 5°. In quolibet autem casu pro regula habeatur, ut matrimonium coram sponsae parocho celebretur, nisi aliqua iusta causa excuset.

VI. — Parochus et loci ordinarius licentiam concedere possunt alii sacerdoti determinato ac certo, ut matrimoniis intra limites sui territorii assistat.

Delegatus autem, ut valide et licite assistat, servare tenetur limites mandati, et regulas pro parocho et loci ordinario n. IV et V superius statutas.

VII. — Imminente mortis periculo, ubi parochus, vel loci ordinarius, vel sacerdos ab alterutro delegatus, haberi nequeat, ad consulendum conscientiae et (si casus ferat) legitimationi prolis, matrimonium contrahi valide ac licite potest coram quolibet sacerdote et duobus testibus.

VIII. — Si contingat ut in aliqua regione parochus locive ordinarius, aut sacerdos ab eis delegatus, coram quo matrimonium celebrari queat, haberi non possit, eaque rerum conditio a mense iam perseveret, matrimonium valide ac licite iniri potest emisso a sponsis formali consensu coram duobus testibus.

IX. — § 1°. Celebrato matrimonio, parochus, vel qui eius vices gerit, statim describat in libro matrimoniorum nomina coniugum ac testium, locum et diem celebrati matrimonii, atque alia, iuxta modum in libris ritualibus vel a proprio ordinario praescriptum; idque licet alius sacerdos vel a se vel ab ordinario delegatus matrimonio adstiterit.

§ 2°. Praeterea parochus in libro quoque baptizatorum adnotet, coniugem tali die in sua parochia matrimonium contraxisse. Quod si coniux alibi baptizatus fuerit, matrimonii parochus notitiam initi contractus ad parochum baptismi sive per se sive per curiam episcopalem transmittat, ut matrimonium in baptismi librum referatur.

§ 3°. Quoties matrimonium ad normam n. VII aut VIII contrahitur, sacerdos in priori casu, testes in altero, tenentur in solidum cum contrahentibus curare, ut initum coniugium in praescriptis libris quam primum adnotetur.

X. — Parochi, qui heic hactenus praescripta violaverint,

ab ordinariis pro modo et gravitate culpae puniantur. Et insuper si alicuius matrimonio adstiterint contra praescriptum § 2 et 3 num. V emolumenta *stolae* sua ne faciant, sed proprio contrahentium parocho remittant.

XI. — § 1°. Statutis superius legibus tenentur omnes in catholica Ecclesia baptizati et ad eam ex haeresi aut schismate conversi (licet sive hi, sive illi ab eadem postea defecerint), quoties inter se sponsalia vel matrimonium ineant.

§ 2°. Vigent quoque pro iisdem, de quibus supra, catholicis, si cum acatholicis sive baptizatis sive non baptizatis, etiam post obtentam dispensationem ab impedimento mixtae religionis vel disparitatis cultus, sponsalia vel matrimonium contrahunt; nisi pro aliquo particulari loco aut regione aliter a S. Sede sit statutum.

§ 3°. Acatholici, sive baptizati sive non baptizati, si inter se contrahunt, nullibi ligantur ad catholicam sponsalium vel matrimonii formam servandam.

Praesens decretum legitime publicatum et promulgatum habeatur per eius transmissionem ad locorum ordinarios: et quae in eo disposita sunt ubique vim legis habere incipiant a die solemni Paschae Resurrectionis D. N. I. C. proximi anni 1908.

Interim vero omnes locorum ordinarii curent hoc decretum quamprimum in vulgus edi, et in singulis suarum dioecesum parochialibus ecclesiis explicari, ut ab omnibus rite cognoscatur.

Praesentibus valituris de mandato speciali SS.mi D. N. Pii PP. X, contrariis quibuslibet etiam peculiari mentione dignis minime obstantibus.

Datum Romae die 2 mensis augusti anni 1907.

VINCENTIUS Card. EP. PRAENEST., *Praef.*

L. ✠ S.

C. DE LAI, *Secretarius.*

DE DECRETI PRAEAMBULO

41. Rationes edendi decretum et immutandi disciplinam tridentinam; constitutio formae substantialis non solum pro celebratione matrimonii sed etiam pro celebratione sponsalium.

41. Leges tridentinae, quas hucusque exposuimus, substantialem formam celebrationis sponsalium et matrimonii regent usque ad proximum Pascha Resurrectionis D. N. I. Chr. praesentis anni 1908, ex quo nova a Pio X PP. MM. praxis et disciplina inducitur. Nam, quum lex tridentina, ad hoc ut vim suam exsereret, requireret ut in singulis parochiis publicaretur, factum ante omnia est, ut multa loca beneficio tridentinae legis carerent, imo saepius ut in eadem regione, aliquando etiam in una eademque dioecesi, lex tridentina alicubi vigeret, alicubi vero non. His adde haud raro dubitatum fuisse, utrum in aliquo loco lex tridentina fuerit necne publicata. Et, quod caput est, saepe in praxi plures fuerunt difficultates ad hoc ut constaret, an quis quasi domicilium in hoc vel in illo loco acquisierit; ex quo accidit, multa matrimonia, sive ex inscitia hominum, sive ex fraude, nulliter contracta fuisse. Haec pericula aetate nostra, qua itinera adeo faciliora et frequentiora reddita sunt, creverunt in ingens. Hinc, instantibus viris doctissimis, episcopis praecipue, ex omni parte terrarum, Pius X substantialem celebrationis matrimonii formam hisce nostris temporibus magis accomodatam auctoritate sua suprema induxit decreto S. Congr. Concilii, cui rem totam Pontifex speciali mandato commiserat, dato die 2 aug. 1907.

Formae huic substantiali celebrationis matrimonii addidit Pontifex formam etiam substantialem celebrationis sponsalium, quae quidem tum ante tridentinum [1],

[1] In schemate, quod tridentinis Patribus propositum fuit pro statuenda forma substantiali celebrationis matrimonii non quidem in prima aut in quarta et ultima forma, sed in secunda (7 aug. 1563) statuebatur

tum post tridentinum usque nunc, valebant quacumque tandem forma fuissent contracta, exceptione tantummodo facta pro Hispania et America latina, ut diximus supra. Quamvis autem ius commune hucusque vigens huiusmodi fuerit, non defuerunt tamen plures sive episcopi sive privati homines, canonistae praesertim et moralistae, qui contrariam disciplinam desiderarent. Nec solum ante concilium Vaticanum [1], sed etiam post idem conci-

necessitas publice contrahendi sponsalia. Sic enim proponebatur decretum: " Statuit ac decernit (s. synodus) illas omnes personas, quae in posterum clam sine trium saltem testium praesentia matrimonium sive sponsalia contrahere attentaverint, ad matrimonium sive sponsalia sic contrahenda inhabiles fore, ac propterea omnia ab eis acta pro matrimonio sive sponsalibus contrahendis irrita fore ac nulla, prouti praesenti decreto irritat et annullat „. THEINER *Acta II, 335;* PALLAVICINI, *Istoria del Concilio di Trento, Milano 1832, lib. 22, n. 45.* Tertio loco (7 sept. 1563) duae aliae formae fuerunt propositae, in quarum altera de solo matrimonio agebatur, nulla de sponsalibus facta mentione; in altera haec proponebantur: " Decernit (s. synodus) eos omnes, qui in posterum sine testium saltem trium praesentia matrimonium vel sponsalia contrahere attentaverint, ad sic contrahendum inhabiles fore et contractus huiusmodi ab eis fieri attentatos irritos esse et nullos...; declarat tamen s. synodus matrimonium sive sponsalia contracta in praesentia trium testium probari posse duobus ex praedictis testibus vel alia legitima probatione „. THEINER, *Acta II, 389.* Approbata postea fuit ultima forma, in qua de sponsalibus mentio nulla est.

[1] Iam praeter ea, quae diximus supra n. 4, quibus patet, ordinarios quosdam non solum desiderasse, ut lege constitueretur sponsalia publice et solemniter necessario celebranda esse, sed etiam suae auctoritatis limites evasisse prohibendo sponsalia privata sub poena excommunicationis, aut sub poena nullitatis; adnotari etiam debet haud paucas prodiisse petiniones episcoporum, praesertim tempore celebrati concilii Vaticani et postea ultimis hisce temporibus, qui a S. Sede efflagitarunt immutationem iuris antiqui. In postulato episcoporum Neapolitanorum in appendice ad caput 2 primae partis seu in §. 5, n. 3, haec habentur: " Sponsalium instabilitas postulat, ut aliquod ineatur consilium, quo malis occurseatur, quae originem ducunt a sponsionum facilitate, quae vel incaute vel callide fiunt ab adolescentioribus, qui postea stare promissae fidei nolunt. Hinc feratur lex, iuxta quam valida non sint, nisi nonnullis appositis conditionibus „. (*Coll. Lac., tom. 7, col. 784*). Pariter inter postulata episcopi Concordiensis n. 3 legitur: " Ut ad vitandas contentiones, rixas, inimicitias, quae facile oriuntur ex sponsalibus te-

lium [1]. Tandem devenimus ad praesens decretum, cuius dispositiones nunc sunt indicandae.

mere et clam celebratis, constituatur, dehinc sponsalia, quae facta non fuerint cum aliquibus solemnitatibus, ex. gr. coram duobus testibus, ac monitis parentibus, esse invalida, atque cum solemnitate inita fieri invalida, si, quin renoventur, annus integer, ex quo facta sunt, transeat „. (*Coll. Lac. tom. 7, col. 882*). Etiam episcopi Italiae centralis inter sua postulata ad conc. Vaticanum n. 2 proponunt: " Et quoniam facilitate contrahendi sponsalia saepe saepius quidam abutuntur, ex quo fit, ut plurima matrimonia irrita evadant, ideo postulant, ut impedimentum publicae honestatis ex sponsalibus locum non habeat, nisi ex solemnibus, initis scilicet per syngraphan aut coram parocho sine testibus, aut coram notario et testibus. Quae conditiones etiam pro impedimento sponsalium impediente requiri debeant. Possit autem episcopus, ubi adsit mutuus consensus pro sponsalium dissolutione, dispensare ab impedimento, quod nihilominus perdurat „.

[1] Ultimis hisce annis episcopi Picaeni (Marche) hanc eamdem immutationem postularunt, quam petitionem Sacra Congregatio Concilii *in Anconitana et aliarum 14 maii 1898* remisit responsione: " Scribatur ad mentem „. Mens autem fuit, iudicatum a Patribus fuisse immutationem petitam non expedire. Postea Episcopi Liguriae et Apuliae, qui ad statos episcopales congressus convenerunt, petitionem et ipsi S. Congregationi obtulerunt, ut praescriberet sponsalia in eorum dioecesibus non fore amplius valida, nisi contraherentur scriptura publica aut privata, aut saltem coram duobus testibus; vel etiam ut earum dioecesibus extenderetur quoad sponsalia ius particulare Hispaniae, quemadmodum factum fuerat pro America latina. Responsio, quae a Congregatione data est die 17 iun. 1905 fuit: " Dilata et ad mentem „. Mens autem fuit, ut in hunc finem studia et consultationes instituerentur, nec non harum petitionum ratio haberetur in codificatione iuris canonici.

CAPUT PRIMUM.

De celebratione sponsalium

42. Sponsalia ad validitatem debent contrahi per scripturam subsignatam. — 43. De casu, quo pars utraque vel alterutra scribere sciat, sed non possit. — 44. An ablata sit potestas ineundi sponsalia per procuratorem. — 45. An sponsalia inter absentes fieri possint. — 46. De sponsalibus impuberum. — 47. An matrimonium invalidum ratione aetatis habeat in nova disciplina vim sponsalium. — 48. De qualitatibus testium in sponsalibus. — 49. — An sponsalia inita non servata forma decreti ullum producant effectum. — 50. De promissione matrimonii unilaterali. — 51. An ex dispositionibus decreti aliquid sequatur quoad dissolutionem sponsalium. — 52. Quinam veniant in decreto nomine parochi. — 53. Quinam parochus, si adhibeatur, debeat subscribere contractui sponsalitio. — 54. Parochus potestne alium delegare ad subscribendum. — 55. Quid de accessoriis sponsalium. — 56. De sponsalibus acatholicorum. — 57. Hoc decreto Ecclesia plene recedit a iurisprudentia romana de sponsalibus.

42. *Ex decreto piano ad validitatem sponsalium necesse est ut fiant per scripturam, subsignatam* a partibus, nec ab ipsis tantum, sed et praeterea sive a parocho aut loci ordinario, sive a duobus testibus. Et haec quidem, quando partes ipsae scribere sciant; si vero utraque vel alterutra pars scribere nesciat, idipsum adnotandum est in scriptura, cui loco partium, praeter parochum vel loci ordinarium aut duos testes, ut supra praescriptos, subsignare debet alius testis.

43. *Quid vero in casu, quo pars utraque vel alterutra scribere quidem sciat, sed non possit?*

Hic casus non respicit ea, quae in decreto disposita sunt, sed ea, quae dispositio decreti, expresse saltem, non respicit. Decretum enim contemplatur casum, quo pars utraque vel alterutra scribere *nesciat;* non autem casum propositum. Porro casum etiam huiusmodi acci-

dere, extraordinarie quidem, possibile est. Titius dexterum brachium amisit; scribere quidem scit (non autem brachio sinistro), sed non potest; vel Titius scribere sciens brachium quidem dexterum non amisit, sed amisit eius liberum exercitium ad tempus; interim brachio sinistro scribere inscius, scribere omnino non potest. Quomodo is debet sponsalia contrahere, si ea vult inire? Et puto, eum in casu sequi debere regulam, quae in decreto statuitur pro eo, qui scribere nescit. Scilicet is, si vult valida (ratione formae) sponsalia contrahere, debet scriptura ea inire, quae subsignetur ab altera parte, si haec scribere valeat, et ab uno teste superaddito parocho vel loci ordinario aut duobus aliis testibus, qui semper scripturam subsignare debent.

Difficultas quidem contra hoc esse posset illud, quod iuristae tradunt ex lege 4 § 6 *de damno infecto etc. D.* (*XXXIX. 2*), ubi nempe verba legis deficiunt, deficere ipsam legem, nec ultra legem dispositionem legis esse trahendam; pariter illud quoque, quod deducitur ex lege 10 *de liber. et post. etc. D.* (*XXVIII. 2*), scilicet casum omissum in lege, testamento, etc., pro omisso habendum esse, nec proinde ad eum posse extendi legis dispositionem. Sed in contrarium habemus illud, quod Peckius tradit in commentariis ad regulas iuris canonici [1], qui respondens in casu simili ad hanc difficultatem dicit: « Tum vero quod dicimus legem deficere, ubi verba legis deficiunt, ita intelligit Tiraquellus *in leg. si umquam ad verb. libertis n. 35 C. de revoc. donat.*, si non sit alia legis provisio in contrarium, cuius basis est verisimilitudo; sicut dicimus, quod argumentum a contrario sensu valet, nisi legis dispositio sit in contrarium: *late Praeses in loco a contrario sensu*, quia una lex per aliam intelligi atque suppleri debet. *l. non est novum D. de legib.* Atqui aliae leges volunt, in obscuris verisimile sequendum esse, et sic quando deficiunt verba legis, de

[1] *In reg. 45 n. 11.*

qua agitur. et aliarum legum, quae eam interpretantur, tunc deficit lex, et non aliter. Nam quando aliae sunt leges interpretantes, tunc non nos, sed aliae eaedem leges trahunt verba legis dubiae extra casum dispositum. Et quamquam mentis sensa per verba proferantur, *d. l. Labeo*, tamen quia maiora sunt quae cogitamus, quam quae scribimus, semper verba tamquam remoti quidam indices ad animum proferentis referenda sunt. *Quintil. lib. VII. c. 7.* Sed si omnino obscura sit mens disponentis, ut neque ex verisimili neque aliunde iuvari possit, tunc utique cadit dispositio, *l. quo tutela D. de test. tut.*, sibique imputare potest, qui quod voluit aliter non dixit ». Scilicet, ut ait D Annibale: [1] « Neque leges neque canones ita scribi possunt, ut omnes casus, qui quandoque inciderint, comprehendant; imo nec debent, alias infinitam confusionem parerent; sed iura constituenda sunt de iis, quae frequenter accidunt, non quae raro. Quoties igitur casus inciderit, qui in lege quidem comprehensus non est, sed ei, qui in lege comprehensus est, similis sit, utimur interpretatione extensiva. Non quidem semper, sed si utriusque casus et eadem sit ratio, et alias iniquum aut absurdum aliquid sequeretur; quod cum primis obtinet in correlativis, in aequiparatis, in connexis, exceptis tamen odiosis et iis, quae exorbitant a iure communi. Nisi et in his (odiosis, exorbitantibus) aliud ferat constans omnium DD. interpretatio » [2]. Et haec consonant cum lege 12 *de legibus etc. D. (I. 3.)*, et in ea fundantur, scilicet: « Non possunt omnes articuli singulatim aut legibus aut senatus consultis comprehendi; sed quum in aliqua causa sententia eorum manifesta est, is, qui iurisdictioni praeest, ad similia procedere atque ita ius dicere debet ». Sed nec magis in contrarium facere altera obiectio videtur. Nam licet principium illud, quod casus omissus habetur pro omisso, generaliter verum sit, non procedit tamen, quando illud, quod est omissum,

[1] *I. 186.*

[2] Cfr. pulcherrimas notas huic textui ab auctore appositas.

sit verisimile, vel quando in se habet eamdem aut maiorem rationem; quare etiam tunc, quum casus omissus similis est expresso, principium non procedit, quia, ut ait Baldus in cap. 11 *de iudiciis*, ea, quae rationis nexus vel similitudo connexuit, dispositio iuris non separat.

44. *Quaeres: an ex novis praescriptionibus dicendum est, tacite ablatam fuisse potestatem ineundi sponsalia per procuratorem?* Aliis verbis: quum forma substantialis ad celebrationem sponsalium requirat subscriptionem ipsarum partium, si hae scribere sciant, dicendum ne est, procuratorem excludi? Et puto huic quaestioni negative respondendum. Nam certe antiquo iure, quemadmodum pro matrimonio, ita etiam a fortiori pro sponsalibus admittebatur procurator [1], iure autem novo expresse non excluditur. Quando igitur partes scribere insciae volunt contrahere sponsalia, quum earum subscriptio non requiratur, nullo modo cogimus excludere procuratorem, sed omnia manent in terminis antiqui iuris, a quo sine causa quis recederet. Quum autem impossibile sit suspicari, voluisse decretum procuratorem excludere a sponsalibus eorum, qui scribere sciunt, admittere autem in sponsalibus eorum, qui nesciunt scribere, dicendum a neutris excludi. Nec insistendum in casu affirmari potius debere ex adducta ratione procuratorem ab omnium sponsalibus excludi. Nostra enim argumentatio concordat cum principiis iuris; altera non item Ex iuris enim principiis affirmare recte possumus procuratorem semper admitti, quandocumque non excludatur expresse, quemadmodum omnes asserunt commentatores [2], ex lege 43 § 1. *de procuratoribus, etc. D. (III. 3)*, ubi expresse dicitur: « Quum quaeratur an alicui procuratorem habere liceat, inspiciendum erit, an non prohibeatur procuratorem dare; quia hoc edictum prohibitorium est ». Hic

[1] Cfr. Gasparri *de matr. I. 85.*

[2] Cfr. ad ex. Reiffenstuel *in tit. 38 libr. I, Decr. n. 59.*

autem expresse non excluditur, imo nec etiam tacite in casu de iis, qui scribere nesciunt. Ergo [1].

Omnes autem admittunt, procuratorem ad sponsalia eodem modo constitui debere, quemadmodum constituitur procurator ad matrimonium; scilicet eget speciali mandato, quod datum fuerit ad contrahenda sponsalia cum determinata persona [2]. De rigore tamen iuris non requiritur quod scriptis detur, licet hoc modo consultius dari evidenter pateat; nec ulla qualitas in eo exigitur pro validitate, veluti certa aetas aut sexus identitas cum mandante; sufficiunt proinde eae qualitates, quae de iure naturae in procuratore desiderantur.

45. Attamen nota, procuratorem numquam esse necessarium ad contrahenda sponsalia, ne in nova quidem disciplina. Ex decreto enim nostro forma substantialis pro contrahendis sponsalibus est scriptura subsignata a partibus et a parocho vel a duobus testibus. *Subsignatio autem haec fieri potest ita ut non a praesentibus fiat sed ab absentibus* [3]. Titius ex. gr. scripturam, a se subscriptam coram duobus testibus, iisdem testibus tradit, qui eam ad Titiam afferant, quae etiam subscribit. Valida sunt sponsalia. Imo Boudinhon [4] putat. nec improbabi-

[1] Accedunt nostrae sententiae Gennari (in tertia editione pag. 18). Alberti *(Comm. in recens decretum S. C. C. de sponsalibus et matrimonio in h. l.)*, Trenta (*La nuova disciplina sulla celebrazione degli sponsali e del matrimonio n. 7)* contra Ferreres *(Razón y Fe vol. XIX, pag. 366).*

[2] B. P. *VI. 26 sqq.*

[3] Vermeersch, *De formâ sponsalium ac matrimonii post decretum* " *Ne temere* „ *2 aug. 1907, u. 29.* contrarium putat; " ipse enim *contractus* eos debet habere testes. Contractus autem fit per scripturam. Debent ergo *immediate.* non ex aliqua aliorum relatione, testari posse, quomodo partes nomen apposuerint „.

[4] Ita etiam De Smet *(Collationes Brugenses XIII. p. 57)* citatus a Vermeersch *l. c.* Boudinhon autem (*Le mariage et les fiançailles n. 39)* ita argumentatur: " Evidemment, les témoins appelés à certifier le contrat et les signatures devront être certains que la signature qu'on leur présente est authentique: mais aucune méthode de contrôle ne leur est

liter, sufficere etiam ut testes subscribant scripturae postea quam eidem a partibus absentibus subscriptum fuit; patet autem quod in casu testes debent certi esse de authenticitate subscriptionum duorum contrahentium. Ratio autem est quia nil aliud lex requirit, nec ullo modo ex verbis legis erui posse videtur sponsalia *coram* testibus contrahi debere.

46. *Iure autem novo abolita evadit dispositio Bonifacii VIII in cap. un. de desp. impub. in 6.°*, ex qua valida haberi debebant sponsalia, quae parentes iniverant nomine filiorum praesentium et tacentium, vel absentium ac ignorantium et postea expresse aut etiam tacite ratihabentium. Haec iuris praesumptio non amplius procedere potest iure novo, quum requiratur subscriptio ipsarum partium. Quod procedit etiam in casu, quo filii scribere nesciant, quia nimis clara ex decreti contextu legislatoris mens est, ut ad sponsalia requiratur expressa voluntas ipsorum contrahentium, nec sufficiat tantummodo scientia promissionis ab aliis factae et taciturnitas aut ignorantia et superveniens ratihabitio.

47. *Pariter iure novo cessat dispositio iuris antiqui* [1], *qua matrimonium ab impuberibus* inter se vel cum pubere (servata forma tridentina, sicubi opus esset) *celebratum*, quamvis ob impedimentum aetatis sit invalidum; *habet* tamen *vim sponsalium*. Patet quia deest in casu forma substantialis.

48. *Quaeres praeterea, quaenam sint qualitates, quae desiderantur in testibus, qui scripturae sponsalium subscri-*

imposée. Par conséquent, les contractants jouissent à cet égard de la plus grande latitude... tous les moyens en usage pour les contrats écrits entre absents, toutes les méthodes pour la certification des signatures, sont valables et suffisantes. Dès lors que les parties intéressées et les témoins n'ont pas de doute sur le contrat et sur les signatures, ils n'ont pas à recourir à d'autres formalités „.

[1] *c. 14 de desp. impub. X. (IV. 2); cap. un.* § *1. h. t. (IV. 2.) in 6°.*

bere debent. Quum in nova hac disciplina nulla super hoc expresse facta fuerit immutatio etiam relate ad testes pro matrimonio, quoad testes ad sponsalia ex novo iure requisitos, quemadmodum etiam quoad testes, qui ex novo decreto requiruntur ad matrimonium, standum est iuri antiquo, ex quo nullae positivae qualitates requirebantur praeter eas, quas ius ipsum naturae in testibus requirit. Proinde omnes ad validitatem admittuntur, qui testes actus materialiter esse possunt, mulieres quoque, minores, censura adstricti. Et si haeretici non sunt adhibendi [1], hoc ad liceitatem pertinet. Imo, quamvis ordinarie caeci, muti, imo et surdi simul ac muti non possunt fungi munere testium, quando agitur de percipienda expressione consensus; quum de hoc necessario non agitur, quemadmodum in sponsalibus, aut quum ex praevia peculiari institutione de actu, qui agitur, certiores fieri possunt, ne hi quidem excluduntur.

49. *Quid autem significant verba decreti: « Ea tantum sponsalia habentur valida et canonicos sortiuntur effectus »?* Decretum enim statuit sponsalia, quae in praescripta forma non fiant, nec valida esse nec canonicos effectus sortiri. Quid autem sibi vult, nec valida esse nec canonicos sortiri effectus? Scilicet ante omnia iuridice et in externo ecclesiae foro sunt nulla, ac proinde omnes illi effectus, quos de iure ecclesiastico sponsalia producunt, ex ipsis non fluunt. Quare Titius, qui, substantiali nova hac forma non servata, sponsalia contraheret, nullam a iudicibus ecclesiasticis obtinere posset tuitionem sui iuris ad hoc ut altera pars cogeretur stare promissis; hinc impedimentum illud, quod ex sponsalibus validis iure ecclesiastico oritur, impediens ne quis licite matrimonium contrahat cum tertia persona, ex talibus sponsalibus nullimode exsurgeret, nec ille, qui talia sponsalia contraxisset, advolante sua comparte ad alias nuptias, posset contra has novas nuptias protestari et cogere pa-

[1] *S. U. I. 19 aug. 1891.*

rochum ut talibus nuptiis non assisteret, quousque antea de sponsalibus iudicatum esset, opponendo illud quod ex stylo Curiae dicitur: « Nihil transeat ». Pariter ex huiusmodi sponsalibus nullum exsurgeret impedimentum publicae honestatis, et matrimonium, quod sponsus ex. gr. contraheret cum sorore sponsae, esset omnino validum.

Sed, quid dicendum de valore horum sponsalium, quae, non servata forma decreti, inita essent, non quidem *in foro externo*, sed *in interno foro*? Aliud enim est, quod ex actu nulla exsurgat obligatio, aliud; quod exsurgentem obligationem auctoritas socialis non tueatur. Sic ex iure romano nulla exsurgebat actio ex nudo pacto, sed ex eo obligatio exsurgebat. Ad hanc quaestionem nota illud, quod pulcre adnotat Wernz [1], et quod fluit ex rectissimis canonicis principiis: « Potestas publica, cui ordinatio contractus est commissa, non restringitur ad solam inhabilitationem personarum, sed sese etiam ex natura rei extendit ad reddendum inefficacem consensum naturalem et praescribendi ad valorem contractus formam quamdam solemnitatis ». Porro sponsalia sunt contractus, qui a legitima societate ecclesiastica seu ab ecclesia dependet: potest igitur ecclesia et quasdam personas ad hunc contractum inhabilitare et quorumdam naturalem consensum in sponsalia inefficacem reddere. Si autem inefficax est talis consensus, ergo contractus non subsistit, et, deficiente contractu, deficit obligatio ex contractu resultans. Ita factum fuit a concilio Tridentino suo celebri decreto « Tametsi », et ideo matrimonium in locis eidem subiectis celebratum absque praesentia proprii parochi et testium fuit omnino nullum et irritum, nullos proinde producens effectus matrimonio connaturales nec in externo nec in interno foro. An idem dicendum hic de sponsalibus? Et mihi certissima est sententia affirmans: tum quia [2] non dicuntur tantummodo

[1] *Ius. Decr. VI. 158*

[2] Concordant plerique, ex. gr. Besson (*Nouvelle Revue theol. 39, 1907, pag. 613*); Gennari (*loc. cit. pag. 20*); Alberti (*Comm. in recens*

in decreto talia sponsalia nullos sortiri canonicos effectus, sed invalida quoque dicuntur: tum quia unus ex modis,

decretum S. C. C. de spons. et matr. in h. art.); Vermeersch *(de forma spons. ac matrimonii post decr.* " *Ne temere* „, *n. 23*), ubi haec habet: " Forma requiritur ut sponsalia valeant et canonicos sortiantur effectus. Haec ea mente videntur scripta ut aliter tentata sponsalia ad nullum matrimonium accessum impediant. Verba itaque — et canonicos sortiuntur effectus — non sunt posita ad nullitate n coarctandam, ita ut effectus naturales mutuae promissionis subsistere possint, sed nullitatis perfectae declarant corollarium, quod legislatori potissimum cordi erat. Minus itaque ex verbis legis quam ex eius fine et ex mente conditoris arguentes, dicimus sponsalia aliter contracta ne quidem pacti nudi valorem habere, nec alicuius obligationis naturalis esse fontem „. Non omnino concordat Boudinhon (*Le mariage et les fiançailles, n. 36 sqq.*) Dicit enim ibidem: " On notera cependant une prudente différence de rédaction entre l'art. I du présent décret, relatif aux fiançailles, et l'art. III, relatif au mariage. Le premier dit: — Ea tantum sponsalia habentur valida et canonicos sortiuntur effectus...; — tandis que l'autre déclare: — Ea tantum matrimonia valida sunt... — C'est qu'en effet le mariage est un contract définitif; et s'il est fait à l'encontre des dispositions irritantes de la loi, il n'existe pas et ne produit aucun effet, ne confère aucun droit. Les fiançailles, au contraire, sont un contrat non seulement facultatif, mais aussi provisoire, promesse du contrat matrimonial à venir. Puisque les futurs peuvent contracter mariage sans s'y être d'abord engagés par des fiançailles ils peuvent tout aussi bien se marier après des fiançailles dépourvues de valeur juridique. S'ils échangent leurs promesses autrement qu'en la forme prescrite, ils n'auront acquis aucun droit au for extérieur, mais il n'en auront perdu aucun; ils n'auront encouru aucune incapacité; ils pourront se considérer comme liés l'un à l'autre en conscience ou entièrement libres; mais dans l'un et l'autre cas ils pourront procéder au mariage. Sans doute leurs fiançailles privées seront nulles, dans ce sens que la loi canonique ne leur reconnaît aucune valeur, aucun effet qu'on puisse faire valoir devant un tribunal: mais la loi n'a pas pour objet de mettre obstacle à la réalisation, d'un commun accord, des promesses librement échangées. C'est ce qu'on a voulu, ce me semble, indiquer par cette nuance de rédaction. La règle nouvelle s'adresse directement au juge ecclésiastique, indirectement aux fidèles. Aux premiers elle dit: Vous n'aurez à tenir aucun compte des fiançailles si elles ne sont pas contractées en la forme prescrite; aux seconds elle dit: Si vous voulez que vos engagements, d'ailleurs facultatifs, en vue d'un futur mariage, acquièrent une valeur aux yeux de l'Eglise, vous devez leur donner la forme extérieure requise; sinon vous ne pouvez pas les invoquer l'un à l'égard de l'autre „.

quibus iure mens legislatoris cognosci potest, praecise est ex comparatione et connexione totius legislationis canonicae [1]. Porro vidimus iam, quomodo, quum dubium exortum esset quoad Americam latinam, num sponsalia ibidem sine praescripta forma celebrata invalida essent in foro tantum externo, an etiam in interno, responsum fuit a S. Congr. Neg. Eccl. Extr., ea invalida esse in utroque foro. Idem proinde dicendum nunc quoad non servatam novam formam decreti, quae paucis immutatis, extendit eam formam ad universam ecclesiam. Sed et praeterea an dici potest non esse alienum a fine potestatis ecclesiasticae, aliquem actum in externo foro invalidare, relicta tamen eidem validitate in foro interno? Scilicet an potest ecclesia nullo modo sua auctoritate tueri in foro externo ius, quod ab altera parte negligi non potest sine peccato? [2]

Quare ex dictis evidenter infertur, nullam iuxta nos obligationem oriri ex sponsalibus initis non servata forma decreti, ne obligationem quidem fidelitatis. Hinc assentiri non possumus Noldin [3] hanc fidelitatis obligationem admittenti. Si enim decretum non respicit sponsalia nisi in foro externo, ea igitur in foro interno relinquit in suo naturali valore. Valor autem naturalis sponsalium is est, ut non solum ex fidelitate, sed ex stricta iustitia obligent. Hinc cohaerenter vel dicendum est in foro interno sponsalia privata obligare ex iustitia, vel nobis assentiendum dicentibus nullam producere obligationem [4].

[1] Cfr. Wernz *Ius Decr. I. 131.*

[2] Cfr. Wernz *Ius Decr. III. 247* (*56*).

[3] *Decr. de sponsal. et matr. S. C. C. 2 aug. 1907 cum declaratione n. 6.*

[4] Concordat Cronin in suo: « The new matrimonial legislation, a commentary on the decree of the Sacred Congregation of the Council. *Ne temere* published on the 2 of August 1907 by order of Pope Pius x on Betrothal and Marriage », qui p. 312 sqq. statuit has duas propositiones: 1. The Pope can make private sponsalia in foro interno; 2. The Pope by the decree *Ne temere*, invalidates private sponsalia in foro interno as well as in foro externo, and consequently removes the moral obligation to fulfil the contract.

50. *An sub dispositione decreti comprehenditur etiam promissio matrimonii unilateralis?* Ea omnia, quae diximus, referuntur stricte ad contractum sponsalitium, de quo unice loquitur decretum, quique in eo consistit ut sit « mentio et repromissio nuptiarum futurarum » (*l. 1. de sponsal. D. — XXIII. 1*), seu, ut generatim eum canonistae definiunt « promissio deliberata, mutua, utrimque acceptata et signo sensibili expressa futuri matrimonii inter personas certas seu determinatas, quaeque iure sint habiles » [1]. Hinc dispositiones decreti non se extendunt ad alias promissiones quascumque, eas quoque, quae pro obiecto matrimonium habent, ut ex. gr. ad promissionem unilateralem futuri matrimonii, quam Titius Titiae faceret, etsi haec a Titia fuerit acceptata, quae, quamvis non fuerit facta in forma decreti, suum tamen valorem retinet, nisi aliud obstet.

51. *An ex dispositionibus decreti aliquid sequitur quoad dissolutionem sponsalium?* Leitner [2], putat decretum dissolutionem sponsalium non quidem directe sed indirecte attingere. Mihi quidem videtur nihil quoad hoc, ne indirecte quidem, immutatum esse. Semper ad urgendam validitatem sponsalium in foro externo ecclesiae necesse fuit probari posse factum sponsalium; « facta enim non praesumuntur, sed probantur ». Semper contra factum sponsalium necessarium fuit et sufficiens probare factum dissolutionis, quocumque tandem modo factum hoc probaretur, dummodo legitime. Haec immutata manent. Etiam nunc ad urgendam validitatem sponsalium necesse est probare factum, et quidem factum legitimum seu sponsalia legitima forma inita: etiam nunc contra primum factum sponsalium necesse est et sufficit probare factum dissolutionis. Quare ea, quae tradit Leitner [3], quod

[1] Cfr. Reiffenstuel *in tit. 1, lib. IV. Decr. n. 4.*

[2] *Die Verlobungs- und Eheschliessungsform nach dem Decrete "Ne temere" pag. 27.*

[3] *Loc. cit.*

ex. gr. manente apud parochum documento de sponsalibus initis debeat quis apud eum instare, ut in libro sponsalium adnotetur factum secutae dissolutionis, pertinent ad evitanda incommoda forte secutura, non autem ad ipsam dissolutionem. Solvi enim sponsalia possunt etiam post novum decretum, mutuo tantum consensu, quin ullo modo necesse sit documentum conscribere de sponsalibus dissolutis: imo etiam quoad probationem dissolutionis secutae sufficit adducere testimonia vel quamcumque aliam legitimam probationem.

52. *Quinam nomine parochi in hac nova disciplina intelligantur* hic iam inde a suo initio explicat nostrum decretum. Sunt autem non solum illi, qui legitime praesunt paroeciae canonice iam erectae, sed quoad regiones ubi paroeciae canonice erectae non sunt, etiam ii sacerdotes, quibus in aliquo definito territorio cura animarum legitime commissa est, quique parochis aequiparantur, et quoad missiones, ubi territoria necdum perfecte divisa sunt, omnes sacerdotes a missionis moderatore ad animarum curam in aliqua statione *universaliter* deputati.

53. Sed quaeres, *quinam parochus*, si ipse adhibeatur, *debeat subscribere contractui sponsalitio*, scilicet an parochus loci, in quo contractus initur, an parochus proprius alterutrius contrahentium, an quilibet parochus. Vermeersch [1] putat ante omnia, non esse hic intelligendum parochum proprium contrahentium, scilicet proprium ratione domicilii vel quasi domicilii : « renascerentur enim quaestiones intricatae, quas nova lex voluit amandatas ». Et recte omnino. Asserit autem intelligendum esse parochum loci, ubi fit actus, non ex aliqua ratione iuridica aut ex decreto deducta, sed quia ne dici quidem iuxta ipsum potest, intelligendum parochum quemlibet. Hoc tamen non videtur mihi probatum. Arguit enim Vermeersch: « Huic interpretationi repugnat ratio legis. Cur

[1] *Loc. cit., n. 30.*

parochus quilibet, cui partes maxime ignotae esse possint, ut testis privilegiatus assumi permittatur, causa nulla appareat. Obstare videtur etiam obvia verborum interpretatio. Dictum — coram parocho — ultro intelleguntur — coram eo parocho, quem oeconomia legis competentem fecerit. — Gallice verba sic reddideris : *en présence du curé*, non autem *en présence d'un curé*. Obstat etiam doctorum placitum. Namque et card. Gennari et Besson parocho proprio competentiam circumscribunt [1]. Verum misso argumento deprompto ex auctoritate doctorum, quod rem certe non conficit (Alberti, Trenta et alii forte contrarium putant), primum argumentum non videtur probare, tum quia partes possent aeque ignotae maxime esse parocho loci, in quo contractus fit; tum quia ratio, cur parochus habeatur tamquam testis privilegiatus, est ipsum munus, quod ipse exercet. Neque altera ratio cogere videtur, quia dictum — coram parocho — latine aeque habet significationem determinatam aut indeterminatam; ex decreto autem nullo modo conficitur ipsum in determinata significatione esse accipiendum. Quare videtur mihi dicendum, quemcumque parochum habilem esse; hic enim locum esse non incongrue diceres notissimo adagio iuris : « quod voluit (legislator) expressit » [1].

Forte non immerito diceres, parochum debere scripturae sponsalium subscribere in suo territorio. Ex iis enim, quae in decreto praescribuntur quoad matrimonium, videtur qualitas testis auctorizabilis in parocho generaliter restricta esse ad limites sui territorii.

54. *Parochus autem potestne alium delegare, qui, vice ipsius, scripturae contractus sponsalitii subsignet?* Besson [2] putat eum posse, tum quia facultas ordinaria ei est sub-

[1] Gennari quoad hoc ait (*l. c. pag. 21*): " Qualsivoglia parroco e qualsivoglia ordinario, purchè nel proprio territorio, sono idonei per questo rito (degli sponsali) „. Ita etiam Noldin *Decr. de sponsalib. et matrim. S. C. C. 2 aug. 1907 cum declaratione n. 5.*

[2] *Loc. cit., p. 618 sqq.*

scribendi, facultates autem ordinariae delegari ab eo, qui iis gaudet, semper possunt; tum quia quoad rem matrimonialem expresse eidem fit facultas delegandi ad assistentiam matrimonio praestandam, multo igitur magis eadem facultas ei debet esse ad sponsalia. Nec obstat quod hic non agitur de vera iurisdictione, sed de qualitate seu officio; quae qualitas delegari non posse videtur exemplo notarii, qui ne morbo quidem impeditus potest alium sibi substituere in subscribendis scripturis, quae a notario subsignari debent. Hoc enim procedit, teste Schmalzgrueber [1] ex eo quod munus notarii est mere personale et respiciens personae industriam. Vermeersch [2] contra putat, parochum delegare non posse, quia delegatione iurisdictio vel facultas communicatur, non autem parochi qualitas, nec, consequenter, munus testis auctorizabilis huic qualitati coniunctum. Et haec altera sententia est praeferenda. Neque enim admitti potest, quod facultas quaedam ordinaria, nisi constet electam fuisse industriam personae, delegari posse. Quod, si agatur de qualitate requisita a iure, importaret necessario aliquem privatum hominem auctoritati ipsi sociali sese substituere, quod profecto nequit admitti. Adde quod non magis videtur personale munus notarii quam parochi: nec magis in notario quam in parocho videtur electa industria personae, si ita loqui debemus quando agitur de facienda fide subscriptionis ab alio alicui actui appositae. Sententiam autem suam Vermeersch ex eo etiam probat, quod decretum expressam mentionem facit de facultate delegandi parocho tradita ad assistendum matrimoniis, quam facultatem nisi ipsi expresse ius fecisset, etiam quoad matrimonium delegare parochus non potuisset: nullimode autem eam meminit, quando de sponsalibus agitur. Nec videtur ratio deesse; patet enim ad matrimonium contrahendum plenissimam fuisse potestatem et commoditatem faciendam, quae tamen ad spon-

[1] *In tit. 22, lib. II Decr. n. 16, 2°.*
[2] *Loc. cit., n. 31.*

salia necessaria omnino non est, quum ea ad matrimonium non requirantur. Quibus accedit, quod alius est modus supplendi defectum parochi subscribentis ex ipsa lege praescriptus: adhibere scilicet duos testes non qualificatos. Nulla igitur erat necessitas dandi parocho facultatem delegandi in ordine ad sponsalia [1].

55. *Quaeres, quid dicendum de accessoriis sponsalium*, seu de stipulationibus secundariis, quibus ea nonnumquam confirmantur, ut ex. gr. de arrhis, et praesertim de iuramento. De hoc postea. Quoad arrhas, etc., quibus sponsalia aliquando confirmantur, patet eas sequi vicissitudines, ut ita dicam, ipsorum sponsalium. Sunt enim aliquid accessorium: accessorium autem naturam sequi congruit principalis [2]. Quare si sponsalia nulla fuerint, stipulationes quoque secundariae erunt nullae: « quum principalis causa non consistit, ne ea quidem, quae sequuntur, locum habent » [3].

Difficilior est quaestio *quoad iuramentum*. Iuramentum enim tanta religione colit ecclesia, ut Innocentius III [4] expresse edixerit servandum esse, quoties in alterius praeiudicium non redundet nec observatum vergat in dispendium salutis aeternae. Palmieri [5] hanc quaestionem versans generaliter quoad contractus, postquam adverterit ex Lugo [6] in hac materia quoad praxim conscientiae omnia fere esse probabilia propter innumeras et diversas sententias, in quas gravissimi doctores tam theologi quam iurisperiti divisi sunt, statuit tamquam certum, quod ea, « quae iure positivo irrita sunt, non in commodum privatorum, sed ob bonum commune, nequeunt iuramento confirmari. Ratio est, quia quae hoc pacto irrritantur, censentur esse quoque prohibita tamquam contra bonos mores ». Si haec autem casui nostro ap-

[1] Concordat etiam NOLDIN *loc. cit.*

[2] *Lex 42. iuris in* 6°; cfr. etiam *l. 26 § 1. de acquir. rerum dominio D. (XLI. 1).*

[3] *l. 129 1 de div. reg. iur. ant. D. (L. 17).*

[4] *c. 28 de iureiurando X. (II. 24).*

[5] *Op. theol. mor. II. 588.*

[6] *De iust. et iure disp. XXII. sect. 8, n. 188.*

plicemus, patet sponsalia, quae non servata forma decreti contraherentur, infirmata fuisse ob bonum commune, quemadmodum ipse legislator expresse asseritin prooemio suae legis. Ea igitur confirmari iuramento non possunt [1].

56. *Quoad sponsalia acatholicorum*, sive de infidelibus agatur, sive de haereticis aut schismaticis, patet ante omnia, ea valida esse, si inter ipsos ineantur, etsi in eis celebrandis non fuerit servata forma decreti, quemadmodum videbimus in sequentibus ex canone undecimo decreti ex quo etiam manifestum erit, e contra invalida fore sponsalia, quae a parte acatholica inirentur, non servata forma decreti, cum parte catholica, vel cum ea, quae, etsi nata extra ecclesiam vel in ecclesia, ab eadem postea recessit.

Ex quibus hoc habemus corollarium, quod promissio quaedam mutua futuri matrimonii, quae inter catholicos vel inter catholicum et acatholicum fieret non servata forma decreti, quum nulla sit et nullos sortiatur canonicos effectus, nullum producit dirimens impedimentam publicae honestatis: sponsalia e contra ab acatholicis inter se inita (exceptis sponsalibus infidelium, qui legibus ecclesiasticis non subiiciuntur) hoc impedimentum producunt.

57. *Hoc decreto ecclesiam recessisse a iure romano plene et perfecte in quaestione de sponsalibus,* patet ex hucusque dictis. De iure enim romano habebamus ex Paulo (*l. 7 de sponsalibus D. XXIII. 1*): « In sponsalibus nihil interest, utrum testatio interponatur an aliquis sine scriptura spondeat. § 1. In sponsalibus etiam consensus eorum exigendus est, quorum in nuptiis desideratur; intelligi tamen semper filiae patrem consentiri, nisi evidenter dissentiat, Iulianus scribit ». Porro ab iis, quae in secunda parte legis statuebantur, iamdiu recesserat ecclesia; ab iis, quae in prima legis parte statuuntur, nunc ecclesia recedit.

[1] Concordare videntur Besson, *loc. cit.*, *p. 613 nota* et Vermeersch. *l. c. n. 29.*

CAPUT SECUNDUM.

De celebratione matrimonii

ARTICULUS I.

Conditiones requisitae ad validam celebrationem.

58. Principium generale quoad validam matrimonii celebrationem. —

58. Principium generale hoc decreto statutum hoc est: ea tantum matrimonium fore valida, quae contrahentur coram parocho vel loci ordinario vel sacerdote ab alterutro delegato et duobus saltem testibus in loco iurisdictionis assistentis vel delegantis: substantialem autem hanc formam servandam esse ad validitatem ab iis omnibus, qui ad catholicam ecclesiam pertinent vel aliquando pertinuerunt. Haec quidem generaliter, quae tamen aliis magis particularibus praescriptionibus complentur. De his statim.

§ 1. — Quinam valide assistat et intra quos limites.

59. Curnam in decreto nulla fiat mentio Rom. Pontificis. — 60. Curnam in primis nominetur parochus. — 61. Conditiones ad hoc ut parochus vel loci ordinarius valide assistant. — 62. Quaenam suspensio exclud it parochus ab assistendo. — 63. An assistat valide parochus nondum sacerdos. — 64. An parochus putativus. — 65. An legati a latere, etc. — 66. Quibusnam matrimoniis valide assistant. — 67. De parochis, qui territorium proprium non habentes utuntur territorio alterius parochi cumulative. — 68. De parochis, qui tantummodo aliquas domos habent in territorio alienae parochiae sibi subditas. — 69. De parochis exclusive positis pro quibusdam familiis aut personis. — 70. De cappellanis castrensibus. — 71. De iisdem, supposito indulto, quo haberi debeant veri parochi militum. — 72. De iisdem, suppositis quibusdam concordatis et privilegiis. — 73. Generalis regula pro militibus. — 74. De matrimonio viri non militaris coram cappellano castrensi. — 75. De rectoribus piorum locorum a parochiali iurisdictione exemptorum.

59. *In primis nota in decreto nullam fieri mentionem Romani Pontificis*; ratio autem est, quia manifesta non indigent declaratione. Legislator autem seu Rom. Pontifex evidenter potest non solum matrimonio assistere in hac forma ab eo praescripta celebrando, sed ipsam formam substantialem immutare, aut etiam in particulari casu ab ea sive in parte sive in toto dispensare. Relicto igitur Romano Pontifice, qui lege non regitur, sed legem dat et regit, de inferioribus dicendum est.

60. *Dicitur autem matrimonium iniri debere coram parocho vel loci ordinario vel sacerdote ab alterutro delegato.* Nominatur autem in primis parochus, quia ordinarie contingit, ut non loci ordinarius sed parochus matrimoniis assistat. Delegatus ultimo loco ponitur, quia ipse extraordinarie ad hoc munus admittitur.

61. Et ante omnia nota dici *parochum* vel *loci ordinarium*. Quum autem parochus vel loci ordinarius non amplius sit, qui titulum, quem prius habebat, postea, quacumque ex causa, amisit, patet parochum *depositum non posse* amplius matrimoniis assistere.

Praeterea sequentia adnota:

a) *Parochus vel ordinarius valide non assistunt, nisi a die adeptae possessionis beneficii vel initii officii et intra limites tantum sui territorii.* Quae omnia iam plures inducunt mutationes relate ad disciplinam ante decretum vigentem. Nam ante decretum parochum, cui parochia fuerat collata, etsi nondum tradita esset possessio, valide plures asserebant matrimonio assistere. Ita ex. gr. Kutschker [1], Feije [2], Gasparri [3], Garcia [4]. Hodie certum est

[1] *Das Eherecht der katholischen Kirche IV. p. 381.*
[2] *De imp. et disp. matrim. n. 290.*
[3] *De matr. II. 1076.*
[4] *De benef. p. IV. c. 2, n. 7.*

eum invalide assistere, saltem, ut patet ex ipsis verbis decreti, si agatur de parochia canonice erecta; nam si de tali parochia non agatur, valide assistit a die officii initi, qui generatim erit ille dies, quem episcopus aut superior ecclesiasticus designabit in commissione, quam facit officii.

b) *In nova disciplina praeterea parochus, etiam proprius, extra parochiam suam invalide assistit;* in antiqua vero disciplina parochus proprius contrahentium valide assistebat non tantum in parochia ipsa sua, sed etiam extra eam, et quidem etsi ordinarius loci vel loci parochus contradiceret [1].

c) *In nova disciplina parochus nominatim excommunicatus aut ab officio suspensus facultate ista privatur omnino*; quia scilicet ecclesia non habet huiusmodi hominem tamquam testem auctorizabilem, qui eius nomine et quasi vice matrimonii fidelium assistat.

[1] Pirhing, *in tit. 3 lib. IV. Decr. n. 15*; Sanchez, *de matrim. lib. III. disp. 19. n. 14*; Gasparri, *l. c. II. 1101.*

Circa hoc sequentia scribebat in propositione schematis pro novo decreto de forma matrimonii R. P. D. Secretarius S. C. C. nunc Emus Card. Caietanus De Lai in nota: "Omnia suadent ut potestas parochorum quoad matrimonii celebrationem reddatur territorialis. Prae primis enim quum omnes civiles codices hoc principium utpote opportunius adoptaverint in actis celebrandis nuptiarum, uti aiunt, civilium, non suppetit sufficiens ratio cur ecclesia illud non sequatur in matrimoniali materia. Accedit praeterea quod, abolita disciplina parochi proprii, atque extensa facultate parochis valide assistendi matrimoniis etiam non subditorum, congruum videtur quod saltem haec amplissima ipsorum facultas coarctetur intra limites propriae iurisdictionis, ut inde confusio et praesertim contestationes parochi proprii diversa sub forma in posterum vitentur. Absque dubio saltem quaelibet necessitatis aut utilitatis ratio desinit, ut parochus assistat matrimonio proprii filiani in aliena paroecia.

Id vel eo magis tenendum est, quia celebratio matrimonii eum actorum complexum requirit, v. g. publicationes, solemnem benedictionem, adnotationem in libris parochialibus, etc., quae minime conveniunt parocho extra proprium territorium, quaeque difficulter ab eodem peragi poterunt debita cum sollertia ac diligentia. Esto quidem in genere potestatem parochialem a iurisprudentia considerari ad instar potestatis paternae, quam proinde parochus etiam in peccatorum absolutione exercere

In antiqua disciplina parochus valide semper assistebat, quousque titulum retineret : ac proinde etiam suspensus et excommunicatus, vitandus quoque, retinebat facultatem valide assistendi, quam non amittebat parochus, nisi quando parochiali officio privatus erat.

62. Quaestio fieri hic posset, de qua suspensione sermo sit in decreto, quando a valida parochi seu loci ordinarii assistentia excipitur casus, quo suspensi sint *ab officio*. Porro ex ipsis verbis patet suspensionem a beneficio, qua quis removetur ab administrando suo beneficio et a percipiendis eius fructibus nec non ab aliis functionibus, quae a beneficio pendent, non contemplari in decreto nec proinde privare parochum facultate assistendi matrimoniis. Quaestio est igitur unice de suspensione ab officio; qua scilicet clericus privatur exercitio potestatis ecclesiasticae tum ordinis tum iurisdictionis nec non administrationis ecclesiasticae. Quod ideo dicendum puto, quia quamvis saepe auctores dividant suspensionem in triplicem classem, ab ordine nempe, ab officio, a beneficio : magis tamen iuri est consona (cfr. *c. 11 de privil. etc. X, V. 33*) divisio suspensionis in duplicem tantum classem, ab officio et a beneficio ; quo in casu suspensio ab officio ea omnia secumfert, quae supra diximus. Quae si non fuerit totalis, puto non ablaturam a parocho suspenso potestatem assistendi. His plus minusve concordat Vermeersch [1].

valet, sine strepitu, quoad suos filianos etiam extra proprium territorium ; verum potestas celebrandi matrimonium diversam ac superiorem induit naturam, socialem nempe, et iurisdictionem importat, utique voluntariam, quae tot actorum complexum exigit, ut simpliciter paterna dici non possit „.

[1] Nota hic putare Vermeersch (*loc. nuper cit.*) posse ordinarium suspendere parochum tantummodo ab assistentia matrimoniorum, quamvis supponatur, ut patet, iustam causam adesse. Quod mihi verum non videtur. Nam ante omnia hic sumus in odiosis et proinde res strictae interpretationis est, decretum autem facit testem qualificatum omnem parochum, qui suspensus non sit *ab officio*, scilicet parochiali, nec ullam

Patet autem, excommunicationem vel suspensionem, de qua in decreto agitur, non sortiri effectum in decreto notatum, si quando ab ea interposita fuerit appellatio in suspensivo.

63. *Quaeres an parochus, qui nondum fuerit sacerdos, possit* in nova disciplina, quemadmodum in antiqua, *valide*

facit ordinariis facultatem tollendi hanc qualitatem testis qualificati a parocho directe; et praeterea numquam in iure quaestio fuit de partiali suspensione a facultate assistendi matrimoniis. Hoc autem videtur mihi probari ex iis, quae habemus in doctoribus relate ad antiquam disciplinam. Lugo *(Resp. mor. lib. I. dub. 45)* refert: " Archiepiscopus quidam, quum tentatis variis mediis et impositis aliis poenis, non posset exstirpare abusum, qui in sua diocesi nimium irrepserat, quo aliqui variis de causis occulte matrimonium contrahere volentes, sub praetextu infirmitatis vel alio simili, parochum ad se vocabant, illoque praesente et duobus testibus matrimonia repente contrahebant, antequam parochus effugere posset; ex quibus matrimoniis multa scandala et dissensiones oriebantur; idcirco lege et edicto publico non solum id prohibuit, sed abstulit facultatem parochis et aliis sacerdotibus de eorum licentia assistendi eiusmodi matrimoniis, non praemissis denuntiationibus, eosque omnes *ad hunc actum assistendi suspendit* ac declaravit matrimonia, si quae deinceps hoc modo fierent, fore invalida ob defectum potestatis assistendi ex parte parochi vel alterius sacerdotis, quae iam hac lege ablata fuerat. Quaesitum fuit an id archiepiscopus valide facere potuerit. „. Porro Lugo huic quaesito ita post alia respondet: " Censui archiepiscopum non potuisse matrimonia sic contracta irrita reddere; quod videtur esse iuxta mentem S. Congr. Cardinalium interpretum Concilii Tridentini, quorum declarationem affert idem Sanchez *lib. III. disp. 21. n. 12*... Rationem vero reddit idem Sanchez *n. 11* quia adhuc ille est verus parochus, retinetque parochiae titulum. Quae ratio militat etiam in casu nostro, nam parochus adhuc manet parochus: quare matrimonium coram eo et duobus testibus contractum habet omnes conditiones, quas concilium tridentinum exigit ad valorem matrimonii, licet non habeat conditiones alias ab eodem concilio requisitas, ut licite fiat. Possumus autem hoc ipsum confirmare et explicare exemplo, quod affert idem Sanchez dicto *lib. III. disp. 46 n. 10,* ubi refert factam fuisse constitutionem quamdam synodalem Salmanticae, cuius meminit Covarruvias *4 decret. 2 part. cap. 5 initio num. 9.* qua excommunicabantur ipso iure clam contrahentes matrimonium et cavebatur hos excommunicatos vitandos esse etiam ante denunciationem excommunicationis, quam tamen excommunicationem ipse Sanchez cum aliis dicit non potuisse valide

matrimoniis assistere. Contra Haring, qui affirmat [1], Knecht negat rotunde, arguens non solum ex ipsa definitione parochi, quae habetur in decreto, sed etiam ex eo quod in pluribus locis decreti expresse sermo est de sacerdote [2].

id statuere, quia in Extravaganti *Ad evitanda* requiritur denuntiatio, ut debeat vitari excommunicatus, nisi sit notorius clerici percussor. Quum ergo concilium tridentinum ad valorem matrimonii solum requirat praesentiam parochi et duorum testium, non potuit archiepiscopus irritare matrimonia coram parocho et testibus facta, qualia sunt ea, de quibus agitur, quum ille re vera adhuc maneat verus parochus retinens titulum suae parochiae, praesertim quum assistentia illa non sit actus iurisdictionis in parocho; quare licet ob excommunicationem vel aliam censuram suspensum esset ab omni iurisdictione, adhuc valide assisteret matrimonio, ut cum communi docet idem Sanchez *d. lib. III. disp. 21 n. 4.* Ratio denique a priori et fundamentalis est, quia, quidquid sit de aliis materiis, in hac tamen materia non potest episcopus lege sua inducere impedimentum irritans matrimonii ultra illa, quae iure communi inducta sunt... Quum ergo ecclesia universalis defectum denunciationum praecedentium solum voluerit esse aliquid impediens matrimonium, ne licite contrahatur; non potuit archiepiscopus facere quod impedimentum hoc transierit in numerum impedimentorum dirimentium; unde merito a S. Congr. Concilii benevole monitus fuit ut quamprimum edictum in hac materia promulgatum revocaret „. Haec casui nostro et recentiori disciplinae applicando patet illud, quod dicebamus.

[1] Scheint auch nach dem Dekret " *Ne temere* „ (hanc assistentiam) nicht ausgeschlossen zu sein. *Das neue Ehedekret " Ne temere „ eine Gegenüberstellung der alten und neuen kirchlichen Eheschliessungsforme von Dr. Theol. et iur. Johann B. Haring, Graz, 1907.*

[2] Wenn nach dem Kapitel Tametsi ein vor der Priesterweihe mit einem kirchlichen Benefizium belehnter Pfarrer oder Ordinarius seine Untergebenen gültig trauen konnte, so setzt das Dekret " *Ne temere* „ entgegen einer von J. B. Haring (*S. 13, 2*) als " *nicht ausgeschlossen* „ bezeichneten Anschauung, den Besitz des Ordo voraus. Das lässt sich ersehen aus der Definition von " *Pfarrer* „ und aus anderen Stellen des Dekretes, wo meistens das Wort " *sacerdos* „ ausdrücklich angewendet ist. Im übrigen dürfte in unserer Zeit, wo die absolute Ordination, abgesehen von der Bischofsweihe, fast überall durchgeführt ist und nach staatsrechtlichen Bestimmungen zur Erlangung eines Benefiziums der Besitz der Priesterweihe gefordert wird, eine weitere Erörterung hierüber müssig sein. *Die neuen eherechtlichen Dekrete " Ne temere „ vom 2 August 1907 und " Provida „ vom 18 Januar 1906 dargestellt und kanonisch erläutert von Dr. theol. et iur. utr. August Knecht. Köln. 1908, pag. 57.*

Attamen videtur standum sententiae Haring, tum quia ea cum antiqua disciplina concordat, a qua recedendum non videtur, nisi quando necessitas novarum dispositionum hoc exigit, tum quia rationes a Knecht adductae suam sententiam non probant. Nam in definitione parochi decretum nullo modo loquitur de sacerdotio, quod in parocho requiratur, et si decretum in aliis locis de sacerdote loquitur idque saepius, hoc ex ipsa rei natura est, et tunc fit quum non de parocho sed de delegato agitur, qui nonnisi sacerdos esse potest.

64. An in recenti disciplina dici aeque potest ac in antiqua, *parochum etsi putativum*, qui nempe talis creditur esse errore communi, cui suffragatur titulus coloratus et hoc ultimum a nonnullis non requirebatur), valide matrimoniis assistere? Et puto hic nullam inductam fuisse immutationem. Quemadmodum enim in hoc decreto dicitur: « Ea tantum matrimonia valida sunt, quae contrahuntur coram *parocho* vel loci ordinario vel sacerdote ab alterutro delegato etc., » ita in tridentino dicebatur: « Qui aliter quam praesente *parocho* vel alio sacerdote de ipsius parochi seu ordinarii licentia et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos etc. » Videtur igitur quod, quemadmodum in Tridentino vox parochi ex doctorum consensu confirmato ex epistola Pii VI ad episcopos Gallos *26 sept. 1791* sumi debebat pro parocho putativo, ita etiam in novo decreto eumdem sensum retineat.

65. Pari ratione puto dicendum adhuc esse *legatos a latere* in provincia suae legationis, quippe qui ordinarii ibidem sunt,[1] assistere adhuc posse coniugiis. Idem ex eadem ratione *de vicariis generalibus* etiam sine speciali mandato, et *de vicariis capitularibus* dicendum est. Et quemadmodum antiquitus dicebatur, *Nuntium*, etsi aliquo

[1] *c. de officio legati (I. 15) in 6.*

modo ordinarius dici possit [1], quum autem eius ordinaria potestas ad pauca quaedam se extendat, inter quae assistentia matrimoniis celebrandis non adnumeratur, iis invalide assistere, eodem modo nunc idem dicendum est. Hoc extende etiam ad *Cardinales* in suis titulis, etsi hi sint parochiales ecclesiae [2].

66. *Ex nova disciplina parochus et ordinarius in loco suae iurisdictionis valide assistunt matrimoniis nedum subditorum, sed etiam aliorum;* dum contra antiquitus nonnisi suorum matrimoniis, sed ubique, valide assistebant.

67. Sunt autem *parochi, qui territorium exclusive proprium non habent, sed imo uluntur cumulative cum alio parocho eodem ac iste territorio.* Huiusmodi sunt parochi, qui ex. gr. nonnullas personas vel familias sibi subditas habent, in quas iurisdictionem suam exercent in territorio aliis parochis assignato. Quid de his parochis dicendum? Et responsio facilis est ex ipsis iuris principiis. Patet enim ex iure, quod nihil obstat, quominus in uno territorio plurium iurisdictio exerceatur, et quod ratione territorii plures in eo iurisdictionem obtineant: habemus in eodem territorio iurisdictionem Papae et episcopi, iurisdictionem Papae, episcopi et parochi. Quod si unus est parochus in unaquaque parochia et proinde cum iurisdictione parochi non concurrat iurisdictio parochialis alterius, hoc generaliter procedit, non ex ipsa natura rei aut omnimoda exigentia iuris [3]; suae huic principio dari possunt exceptiones, quae si de facto dentur, habebimus quod uterque in eo territorio quoad suos excercere poterit munus parochiale, et si ratione muneris potest non solum valide et licite suorum, sed etiam valide etsi illicite aliorum matrimoniis in territorio assistere, utrumque ambo

[1] Cfr. resp. Pii VI ad quatuor metropolitanos Germaniae.

[2] Cfr. Gasparri, *l. c. II. 1121;* Wernz, *l. c. IV. 176 (177).*

[3] Cfr. Card. De Luca *de iurisdictione disc. 20, n. 23, disc. 1. n. 9; causam Cremonen. agitatam apud S. C. C. 26 iul. 1879, 24 apr. 1880.*

poterunt in territorio, de quo agitur [1]. Haec, quae ex ipsis iuris principiis facili argumentatione profluunt, confirmata habemus ex explicita declaratione S. Congregationis. Nam quum in congregatione diei 1. febr. 1908 propositum

[1] Vermeersch (*loc. cit. n. 44*) loquens de huiusmodi parochis amplexus est post Besson (*Nouv. Rev. théol. t. 40. 1908, p. 32*) hanc eamdem sententiam, quae postea a Sacra ipsa Congregatione authentice declarata est. Addit autem: " Confirmamur (in hac sententia) eo quod de iure hactenus vigente scribit Gasparri (*de matr.* [2] *II. 921.* post d'Annibale *III. 461 not. 62*). — Parochus autem schismaticus orientalis vulgo pope... valide assistit matrimonio tum catholicorum tum acatholicorum; et, si adest quoque, praeter popum, parochus catholicus, uterque assistere potest. — „ Quam sententiam a Gasparri (*in tertia editione II. 1099*) ex Albitio et d'Annibale desumptam videtur Vermeersch amplecti sine difficultate. Porro ratio istius sententiae haec est: parochus schismaticus orientalis vulgo pope probabilius est verus parochus, quum episcopus schismaticus ipsum instituens verius iurisdictione non careat; potest proinde matrimoniis valide assistere. Quod tamen adnotat Gasparri non esse extendendum ad parochum in occidente, qui institutus sit a superiore suspenso, excommunicato, publice haeretico etiam non declarato; is enim per se invalide assistit, quia non est verus parochus, quum institutio sit actus iurisdictionis, et superior in casu iurisdictione spoliatus sit. Ad melius intelligenda haec, quae videri possunt obscura, ut clarus ipse auctor in secunda editione a Vermeersch citata in nota fatetur, quaedam sunt iuxta ipsum recolenda, quae canonistae tradunt quando de haereticis et schismaticis. Ea autem his praecipue continentur. Verius publicum haeresis aut schismatis crimen non secumfert iure divino amissionem ecclesiasticae iurisdictionis. At publicus haereticus aut schismaticus ex voluntate ecclesiae post sententiam declaratoriam, omnibus fatentibus, iurisdictione in poenam eo ipso privatur. Imo etiam post extravagantem " Ad evitanda „, etsi nonnulli hoc negent, verius iuxta communiorem, hanc privationem incurrit ante ipsam sententiam declaratoriam, saltem si sit beneficiatus, quia praesertim ex Pauli IV. constitutione " Quum ex apostolatus „ XV. kal. mart. 1559 hoc crimen secumfert ipso iure privationem beneficii quoad titulum ante sententiam declaratoriam; iurisdictio autem adnexa est titulo. Verum Albitius *de inconstantia in fide c. XX. n. 6* advertit citatam constitutionem Pauli IV non afficere orientales schismaticos et proinde contra Fagnanum putat episcopos orientales schismaticos gaudere iurisdictione, ideoque valide instituere parochos. Hi autem, quum sint veri parochi, matrimoniis assistere possunt. Sed, cum omni reverentia eminentissimo viro et prae primis insigni canonistae debita, non videtur mihi huic sententiae subscribendum. Nam praescindendo nunc a quaestione, quae

fuisset emis Patribus sequens dubium: « Ubinam et quomodo parochi, qui territorium exclusive proprium non habentes, cumulative territorium cum alio vel aliis parorochis retinent, matrimoniis assistere valeant, » respondendum censuerunt: « affirmative in territorio cumulative habito ». Et nota, quod, etsi dubium propositum videatur forte contemplari tantummodo casum de assistentia, quae respiciat matrimonia subditorum, quum tamen et ipsa verba dubii caute dicant generatim *matrimoniis assistere valeant*, et ipsa principia iuris iuxta novum decretum dicere cogant, admisso quod ipsi possint suorum matrimoniis valide et licite assistere, eos posse etiam valide etsi illicite assistere matrimoniis aliorum, utrumque confirmatur ex relata responsione. Iste autem est casus parochiarum, quae non ratione territorii, sed ratione linguae [2], aut etiam ritus [2] divisae sunt [3].

in praesenti nullius momenti esset, an scilicet ii, qui prius fuerunt parochi catholici et postea ab ecclesia deficientes manserunt in sua parochia schismatici, amiserint munus necne, ii, qui in praesens episcopi sunt aut parochi, episcopatum aut parochiam assumpserunt, quando ium erant schismatici. Porro schismatici omnes ex iure, quod viget tum pro occidentalibus, tum pro orientalibus, inhabiles sunt ad accipienda beneficia ecclesiastica, horumque collatio ipsis facta est ipso iure nulla ac irrita. *C. un. de schismaticis* (*V. 3*) *in 6.* Ergo isti omnes nec sunt episcopi, nec sunt parochi. Sed et praeterea, si quaestio sit de iure tridentino, etsi essent parochi, quomodo essent parochi *proprii* catholicorum? Quoad ius vero novum sufficit prior animadversio.

[1] Cfr. ea, quae dicta sunt supra n. 16; De Angelis *in tit. 29.* lib. *III Decr. n. 2.*

[2] De parochiis per ritus divisis mentionem facit Benedictus XIV constitutione " Etsi pastoralis „ *26 maii 1742, § 8.*

[3] De his meminit Card. De Luca *de parochis disc. 24; de iurisdictione disc. 20 et 33.* Ita Leo X, quum Florentini vellent in Urbe ecclesiam construere sub invocatione S. Io. Bapt. concessit, ut ea ecclesia aedificata esset parochia omnium Florentinorum in Urbe commorantium. Indultus quidem non in omnibus applicationem habuit, sed tamen habuimus hic parochum cum ecclesia tantum sine territorio subditos habentem in territoriis aliorum. Huc etiam revocandi videntur parochi illi, qui Nursiis habebantur et forte habentur, de quibus actum est apud S. C. C. in causa Spoletana *18 iul. 1733, 16 mart. 1737.* Cfr. Conc.

68. Praeter hos habentur etiam *parochi, qui nullum proprium territorium, sed tantummodo aliquas domus in territorio alienae parochiae sibi subditas habent, ratione autem harum domorum curam aliquarum familiarum seu personarum gerunt.* Dubium exinde exsurrexit quid de his parochis quoad matrimonia ex novo iure dicendum esset. Ex una enim parte quum novum decretum restringat potestatem parochi quoad assistentiam matrimoniis praestandam ad suum territorium, et hi verum quoddam proprium territorium non habeant, videbantur tales parochi carere fundamento ad potestatem huiusmodi exercendam: ex altera vero parte considerari poterat, eos aliquod proprium territorium habere saltem in quantum habent propriam ecclesiam: sed et praeterea absonum videbatur dicere, iure constituente parochum tamquam testem auctorizabilem pro matrimoniis fidelium, eum excludi ab hoc munere, qui ceteris officiis parochi fungitur. Quare concludendum videbatur, decretum, quum edicit parochum nec valide nec licite matrimoniis assistere extra limites sui territorii, id ex ipsa rei natura intelligendum esse dictum sub conditione: si quando territorium habet. Proposito proinde dubio Sacrae Congregationi sub his verbis: " Utrum et quomodo parochus, qui in territorio aliis parochis assignato nonnullas personas vel familias sibi subditas habet, matrimoniis assistere valeat „ responsum fuit die superius citata: " Affirmative, quoad suos subditos tantum, ubique in dicto territorio, facto verbo cum SSmo ... Restricta autem

Trid. *ed. Richter, pag. 228, n. 44.* Tales sunt etiam nunc parochi ritus mozarabici in civitate Toletana, de quibus loquitur Ferreres in suo commentario n. 150 sqq. (Cfr. *Razón y Fe, tom. XIX, pag. 234 sqq.*). Praescindendo a parochis et in genere loquendo, hoc idem antiqui auctores exemplificarunt in rectoribus scholarium, in conservatoribus privilegiorum, in inquisitoribus etc. Card. De Luca *de iurisdict. disc. 20*, citat praxim Priorum et Commendatoriorum religionis Hierosolymitanae et similium religionum militarium nec non exemplum Protectoris Almae Domus Lauretanae. Cfr. etiam Ferraris, *Prompta bibl. v.* " *Parochia ... n. 17; et causam agitatam apud. S. C. C. 6 maii 1870.*

est potestas talis parochi ad suos subditos, et quidem ad validitatem, ut patet ex ipsis verbis dubii, propterea quia emi Patres considerarunt hunc modum stabiliendi parochos exceptionem esse a iure communi, eamque potius tolerantiam iuris habere quam approbationem [1]; praeterea sine hac restrictione potestatem horum parochorum nimis excedere limites ordinarios parochialis potestatis. Et forte propter hoc responsioni additum est: " facto verbo cum SSmo ,,.

69. Neque hic dubiorum finis. Sunt enim quoque *parochi*, qui a praecedentibus nonnihil differunt, illi scilicet, *quï subditas sibi habent determinatas familias et personas, pro quibus exclusive constituuntur*. Hi suos subditos sequuntur etiamsi hi alio se conferant; imo aliquando ne ecclesiam quidem propriam habent, sed oratorium quoddam, non semel privatum tantum. In his conceptus territorii saepe exsulat omnino. Ad hos parochos reducuntur cappellani quidam regii et alii huiusmodi [2]. Circa hos parochos interrogata per quaesitum, quod mox referam, respondit S. Congregatio, quoad hos parochos nihil esse immutatum. Quae responsio videtur mihi significare eos posse assistere matrimoniis suorum in terminis, quibus antea, non autem matrimoniis aliorum; verum subditos horum parochorum posse valide, et aliquando etiam licite (si scilicet sponsus pertineat ad aliam

[1] Cfr. causam supra citatam apud S. C. C. *6 maii 1870*, et Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 13 de ref.*

[2] Horum parochorum meminit Ursaia *Disceptationes eccl. tom. VIII disc. 24.* Tradit is Ianuae plures dari huiusmodi parochias, quae etiam iure gentilitiae vocantur. Tales eius aetate erant parochia S. Lucae, quae suberat iuripatronatus familiarum de Spinulis et Grimaldis et simul erat parochia gentilitia illarum familiarum, ita ut si illae familiae commoratae etiam essent in diversa parochia, subessent nihilominus iurisdictioni parochiae S. Lucae; parochia S. Pancratii de iurepatronatus familiarum de Pallavicinis et Calvis, quae erat solummodo parochia gentilitia eorumdem; parochia S. Matthaei de iurepatronatus familiae ab Auria, quae ex priviiegio Ioannis XXII erat dumtaxat parochia gentilitia eorumdem.

parochiam, et iusta causa suadeat matrimonium coram parocho sponsi celebrare) matrimonium contrahere coram alio parocho. Haec explicatio clarescet ex iis, quae statim dicam de cappellanis castrensibus; de his enim parochis et de cappellanis castrensibus unum propositum est dubium, quod unica responsione dimissum est.

70. Succedunt *cappellani castrenses seu cappellani militum* [1]. Hi per se loquendo nullo modo dici possunt parochi etiam suorum militum. Hoc constat evidenter ex pluribus responsionibus S. Congregationis Concilii [2].

Ex hoc autem patet, hos cappellanos, quum parochi non sint, nullo modo assistere posse matrimoniis nedum aliorum, sed ne suorum militum quidem; quod quidem iam antiquitus obtinebat iure tridentino [3], multo autem

[1] Quoad eos confr. Ferraris *Prompta bibl. v.* " *Cappellanus militum* „; Mülhlbauer *Thes. S. C. C. vol. III. v.* " *Cappellanus militaris* „.

[2] Sufficiat hic harum unam referre. Die 7 martii 1694 proposita praeter alia fuerunt sequentia dubia generalia circa hos cappellanos.

1. " An cappellani cuiusvis exercitus sive regulares sive seculares catholici possint administrare militibus in praesidiis degentibus sacramenta poenitentiae, eucharistiae et extremae unctionis sine speciali facultate Sedis Apostolicae vel licentia et approbatione ordinarii, in cuius dioecesi exstare contigerit „.

2. " An assistere matrimoniis militum cuiuscumque nationis degentium in praesidiis cum militaribus feminis sine dicta facultate apostolica et praecedenti probatione status liberi eiusque recognitione coram ordinario loci et licentia parochi, sub cuius parochia maneant „.

3. " An idem cum militibus degentibus in castris et stationibus hibernis vel aestivis „.

4. " An idem cum militibus in actuali expeditione positis „.

5. " An idem cum militibus nubere volentibus cum feminis non militaribus sed italis originariis loci seu dioecesis, in qua reperiuntur „.

Responsum est: " Ad 1, 2, 3, 4 et 5 negative „.

[3] Praeter resolutionem superius adductam inverit his referre aliam resolutionem S. C. C. *in Mediolanen. 11 dec. 1697*, qua S. Congregatio respondit: " Matrimonia militum contrahenda coram cappellanis exercituum quocumque loco exsistentium fore nulla, nisi doceant de sufficienti facultate vel privilegio: et quoad matrimonia contracta particulariter videatur: et hoc scribatur eminentissimo archiepiscopo Mediolanensi, qui aliis episcopis prudenter communicet „.

magis nunc obtinere dicendum est iure piano, quo parochi ad suum territorium restrictam potestatem habent.

Haec autem per se valent; nam per accidens, si nempe habeatur apostolicum indultum, aliud, ut patet, dicendum est, quemadmodum etiam de iure antiquo evidenter procedebat [1].

71. *Supposito igitur privilegio* seu apostolico indulto, quo hi cappellani haberi debeant seu veri parochi militum, patet ante omnia *eos valide assistere matrimoniis suorum militum* in loco, ubi hi de facto versantur, scilicet in loco militaris stationis aut castrorum, si milites castra posuerint, aut etiam in loco proelii, si proelium milites inituri iam sunt, et unus vel alter mortem timens velit ex. gr. illicitum contubernium suum cum aliqua muliere legitimum reddere. (Militibus morti proximis providet articulus septimus decreti). Ratio autem est, quam supra innuimus pro parochis gentilitiis [2].

[1] Occasione cuiusdam Brevis apost. concessi arch. Mechliniensi pro exercitu in Flandria sequentia dubia discussa fuerunt a S. C. C. *in una Belgii 29 maii 1683:* 1. " An vigore praefatae delegationis apostolicae ipse delegatus apost. uti talis eiusque vicarii et cappellani exercitus facultatem habeant assistendi matrimoniis militum, dum hi reperiuntur in actuali expeditione „. Resp. est: " affirmative „; 2. " An dictam facultatem habeant privative quoad contrahentium parochos „. Resp. est: " negative „. 3. " An eamdem facultatem habeant dum milites matrimonium contracturi in hibernis vel aestivis castris commorantur „. Resp. est: " negative „. 4. " An eamdem facultatem habeant, dum milites sunt in praesidiis „. Resp. est: " negative „.

[2] Sed *an licite etiam assistunt*, quum hi parochi sint viri, non autem mulieris; parochus autem mulieris de generali regula, ut habetur in §. 5. art. V, matrimonio assistere debeat? Et certa est affirmativa responsio. Caute enim in citata paragrapho dictum est, parochum sponsae pro assistentia praeferendum esse, *nisi aliqua iusta causa excuset*. Iusta autem causa ordinarie habetur in casu, tum quia parochus sponsae haberi non potest, tum quia militares leges saepe praecipiunt milites non debere matrimonium contrahere nisi coram cappellano castrensi. Et difficultas quoad hoc nulla esse videtur.

72. Difficultas exinde esse potest; quid scilicet, suppositis aliquibus concordatis et privilegiis [1], quibus concessum fuit ut milites exclusive coram cappellano castrensi contrahere deberent, dicendum sit *de valore matrimonii, quod miles, qui teneretur contrahere coram cappellano castrensi, iniret e contra coram parocho sponsae aut coram alio quocumque parocho.* Et per se evidenter respondendum esset pro valore horum matrimoniorum [2]; omnes enim nunc contrahere valide possunt coram quocumque parocho, etsi ille sit, coram quo licite contrahere non possunt. Verum difficultas quaedam practica exsistit praecise ex privilegiis ipsis concessis, quae, si deduceretur in praxim novum decretum etiam quoad hunc specialem casum, viderentur tacite abrogata. Hanc difficultatem ita exponit R. D. Pompili in suo voto: « Considerandum potius privilegium (quoad cappellanos castrenses) in eo, quod praecipit mulieres non posse cum militibus matrimonium contrahere coram parocho ordinariae iurisditionis, sed tantum coram parocho castrensi. Certe verbis et menti decreti refragatur, milites non posse valide matrimonium contrahere coram quovis parocho, sicut ceteri fideles; at non facile immutari posse videtur disciplina, quae in conventionibus acceptata fuit et cuius observantia a civilibus aut militaribus auctoritatibus, etiam adiectis gravibus poenis, vehementer urgetur. His positis, restat ut dicamus decretum *Ne temere*, quod de iurisdictione castrensi non loquitur, eam intactam reliquisse, prout in unaquaque natione suis legibus ex privilegiis vel ex conventionibus regitur, nec parochorum castrensium potestatem auctam fuisse aut imminutam, nec aliis parochis aliquod ius in eorum

[1] Nulla talia privilegia inveni in concordatis, quae referuntur a Nussi in suo opere " *L. Conventiones de rebus ecclesiasticis inter S. Sedem et civilem potestatem variis formis initae, Romae, 1869* „.

[2] Quoad hoc revoca in mentem illud quoque, quod ex antiquo iure vigebat, seclusis specialibus privilegiis, et confer responsionem S. C. C. *in una Belgii 29 maii 1683* supra citatam ad 2^un^.

praeiudicium fuisse concessum ». Haec scripserat consultor; propositum autem fuit emis Patribus sequens dubium resolvendum: « Ubinam et quomodo cappellani castrenses, vel parochi nullum absolute territorium nec cumulative cum alio parocho habentes, at iurisdictionem directe exercentes in personas aut familias, adeo ut has personas sequantur quocumque se conferant, valide matrimoniis suorum subditorum assistere valeant ». Et dubio proposito responderunt: « Quoad cappellanos castrenses aliosque parochos, de quibus in dubio, nihil esse immutatum ». An haec responsio tantum dicat, cappellanos castrenses retinere facultatem in matrimonia suorum, quam prius habebant, an praeterea ipsos solos eam potestatem retinere, si prius eam habebant exclusive, dubium forte esse posset, quum simplex quaedam responsio, nec adeo clara, non videatur ita extendenda, ut exinde iam dici debeat inducta exceptio quaedam principio generali in nova disciplina posito, ex quo potestas parochi iam non amplius ad validitatem restricta sit ad suos. Quod eo magis dicendum videtur, quia responsio emorum Patrum alium obvium habeat sensum, scilicet cappellanos castrenses posse adhuc assistere valide et licite militum matrimoniis; nec extra hos limites videatur extendi dubium propositum, quum postulatum fuerit: « ubinam et quomodo cappellani castrenses... valide matrimoniis suorum subditorum assistere valeant ». Verum, suppositis iis, quae circa hoc scripserat consultor, animus eae sententiae adiiciendus mihi videtur, quae statuit exclusivitatem, si ea prius statuta erat, istius potestatis in cappellanis castrensibus. Ad hoc moveor praeterea ex eo, quod responsio Congregationis ad propositum dubium non data est solita formula *affirmative,* sed his aliis verbis: « Quod cappellanos castrenses... nihil esse immutatum ».

73. Haec autem omnia intelligenda sunt de iis tantum locis, in quibus ab auctoritate ecclesiastica tales parochi pro militibus constituti habentur; alibi milites aliis fidelibus in omnibus aequiparantur, ut patet.

74. Non minoris forte momenti difficultas est, quid, si *coram aliquo cappellano castrensi*, qui ex privilegio haberi debeat ut verus parochus suorum militum, *matrimonium contrahat vir non militaris*? Nam certo, si hi veri parochi sunt (et notandum est nomen parochi in decreto ex eiusdem decreti declaratione non esse sumendum in stricta iuris significatione), dicendum esset, eos valide assistere matrimoniis etiam non subditorum. Nec videtur dicendum hoc non procedere, quia territorium proprium non habent; territorium enim si requiritur, pariter requiritur pro valida assistentia subditorum ac non subditorum. Porro responsum est cappellanos castrenses in hac suppositione valide assistere matrimoniis suorum militum. Attamen, suppositis his, quae scripsit consultor et retuli supra, etiam in hoc inclinat animus ad sententiam negantem. Nec ratio aliqua ex essentialibus ducta deesse omnino videtur; etsi enim hi dici aliquando possint veri parochi relate ad milites, verum tamen est, eos ab aliis parochis discriminari, quia nullum habent certum et determinatum territorium, in quo suam iurisdictionem exerceant.

75. Quaeres forte quid dicendum etiam *de cappellanis seu rectoribus piorum locorum, a parochiali iurisdictione exemptorum*. An scilicet hi valide assistunt matrimoniis absque parochi vel ordinarii delegatione?[1] His fere verbsi dubium propositum est emis Patribus in congregatione saepius citata. Et emi Patres dubium remiserunt responsione: «Affirmative pro personis sibi creditis, in loco tamen ubi iurisdictionem exercent, dummodo constet ipsis commissam fuisse plenam potestatem parochialem„. Responsio clara est et evidens in quantum affirmat hos cappellanos, quibus commissa est plena potestas parochialis, valide et licite matrimoniis assistere. Habent enim ple-

[1] Huc pertinent dubia proposita ab em̄o archiepiscopo S. Iacobi de Compostella et ab em̄o patriarcha Venetiarum, quae vide in praelaudato voto R. D. Pompili *pag. 7 sqq.*

nam potestatem parochi. Nec difficultatem facit restrictio illa, quae apponitur, quod scilicet hoc possint tantummodo in loco, ubi iurisdictionem exercent; hoc enim generale est pro omnibus parochis ex novo decreto. At non bene intelligitur curnam apposita fuerit illa alia restrictio " pro personis sibi creditis „. Videntur enim hi veri parochi, et, si tales sunt, in suo territorio valide assistunt matrimoniis omnium fidelium. In dubio autem nulla est quaestio de liceitate, sed tantum et expresse de validitate assistentiae. Et fateor me nullam aliam rationem decisionis invenire, nisi oeconomicam quamdam rationem, ob quam visum fuerit emis Patribus non decere ut nimium extenderetur horum cappellanorum potestas [1]. Quare existimo hic subintelligenda esse verba, quae immediate praecedenti responsioni addita sunt, scilicet " facto verbo cum SSmo ".

[1] Nec huic rationi fundamentum deest. Ad quod innuendum sufficiat referre ea, quae R. D. Benedictus Melata scribebat in docto voto ab ipso exarato *in Romana Iuris tumulandi et funerandi, apud S. Congr. Concilii, ann. 1901. pag. 26.*: " Haec autem loca (hospitalia) licet dici nequant parochiae in sensu stricto iuris tridentini, quum unum vel plura ex elementis a tridentino praescriptis deficiat, tamen dici et considerari debent parochiae sensu latiori; sic in specie de hospitalibus ait Card. De Luca (*de parochis disc. 23. n. 12*): — Huiusmodi hospitalia habentia proprios sacerdotes et cappellanos legitime approbatos ac deputatos ad administrandum sacramenta infirmis, pro istis tantum ac pro eis ministrantibus, qui inter eorum septa vivant, constituunt quamdam impropriam parochiam atque quoddam improprium territorium separatum, — et paullo infra: — istud hospitale sapere videtur quamdam speciem parochiae, quoad infirmos ibi viventes et morientes, quorum parochus dicitur ille sacerdos vel cappellanus; — similiter Bouix (*de parocho, app. I c 4. q. 3*) scribit innixus auctoritati Card. De Luca: — eiusmodi cappellani (*hospitalium*) non stricte parochi vocandi sunt, sed *quasi parochi*; item illa hospitalia non parochiae, sed *quasi parochiae* „.

§ II. — De modo assistendi ad validitatem requisito.

76. Parochus debet assistere invitatus et rogatus, debetque raquirere et excipere consensum contrahentium, nec vi nec metu gravi adactus. — 77. Rationalitas differentiae inter antiquam et novam disciplinam. — 78. De invitatione implicita aut praesumpta aut interpretativa. — 79. De assistentia in matrimoniis mixtis.

76. Quoad modum assistendi in parocho vel ordinario nihil aliud requirebat antiquum ius quam quod parochus praesens esset et posset esse testis de matrimonio, quod contrahebatur; adeo ut, etsi resisteret, ne haberetur, ut testis, matrimonium valeret. At praesenti decreto res omnino immutata est. *Parochus debet esse* **invitatus** *et* **rogatus**; quibus duobus verbis non duo distincta, sed unum tantum significatur, scilicet debere partes expresse vel tacite parochum monere, se ad eum venire ut matrimonium contrahant, ideoque ab eo poscere ut ipsis suum praestet ministerium. Et id in praesenti disciplina ex eo etiam requiritur, quod ad validitatem parochus debet a contrahentibus consensum requirere et excipere. Hinc iam non amplius procedit illud, quod in antiqua disciplina locum habebat, parochum scilicet, etsi passive tantum se haberet, valide potuisse matrimoniis assistere; nunc enim parochus per positivum quemdam actum intervenire debet, interrogando scilicet partes (quocumque tandem modo ad validitatem) an velint inter se matrimonialem contractum inire. Et hoc est novum principium, quod pervadit recentem legislationem de libera et voluntaria parochi cooperatione ad contractum, ex quo fit ut ad validitatem necesse nunc sit ut parochus ad requirendum consensum sponsorum nec *vi* nec *metu gravi* adactus procedat. Quae duo verba hic, assumpta nota et usitatissima in iure phrasi, unum denotant, scilicet metum gravem, quum concipi nequeat aliquem vi adigi ad alios de hac vel illa re interrogandos.

77. *Haec* autem *differentia* inter antiquam et novam disciplinam *iure introducta est.* Quum enim ex decreto tridentino unus esset parochus legitimus ad assistendum matrimoniis fidelium, scilicet parochus proprius, iure in eius cooperatione non requirebatur illa libertas et voluntaria illa cooperatio, quae nunc praescribitur, quum omnes parochi ad validitatem sunt auctorizabiles testes apti pro matrimonio contrahendo, et gravi intercedente necessitate, quae excuset parochum non proprium a petenda licentia parochi vel ordinarii proprii alterutrius contrahentis, sunt testes auctorizabiles, qui licite etiam matrimonio assistunt.

78. *Sed quaeres num sufficiens sit invitatio et rogatio implicita aut praesumpta aut interpretativa.* Decretum non praescribit ut parochus invitetur et rogetur expresse aut explicitis verbis; illud unum requirit, ut invitetur et rogetur. Quare quotiescumque salvatur quod invitatus fuerit aut rogatus, satis est. Patet autem posse nos aliquem de aliqua re implicite rogare; et in casu, de quo agimus, implicite rogarent parochum illi, qui ei se sisterent cum solito comitatu et vestibus, quibus sponsi induuntur, quin explicite dicerent se velle eum assistere suo matrimonio, aut sponsi, qui parocho praesentarent anulum benedicendum. Et haec rogatio, quae implicita esset ex parte sponsorum, praesumpta dicenda esset ex parte parochi, qui scilicet ex tali facto deberet iure invitationem et rogationem praesumere. Quare evidens est talem *invitationem implicitam et praesumptam sufficere*, quum vera sit invitatio et rogatio.

Interpretativa autem voluntas tunc haberi dicitur, quum quis aliquid nunquam voluit nec vult, quod tamen voluisset vel vellet, si de hoc cogitatio incideret. Voluntas igitur interpretativa vera voluntas non est [1]. Haec ad

[1] Attamen nota ea, quae habet B. P. *Opus Morale I. 19.*: " Quidam confundunt voluntarium interpretativum cum indirecto (indirecte voluntariae sunt ex. gr. patri aut paedagogo culpae filii vel discipuli, quas

casum nostrum transferendo patet *invitationem interpretativam* nullam esse invitationem, eamque proinde *ad satisfaciendum decreto sufficientem nullo modo esse.*

79. Quaeres, an ex nova disciplina abolita sit in matrimoniis mixtis ea assistentia parochi *mere passiva*, quae hucusque generali regula praescribebatur. Huic quastioni respondeo, omnia immutata mansisse quoad matrimonia mixta, hoc uno excepto, quod scilicet nunc parochus ad validitatem debet a contrahentibus exquirere et recipere manifestationem consensus. Scilicet in his matrimoniis ea omnia prohibita manent, quae prius prohibebantur et aliquid sacri praeseferebant; hinc parochus non posset matrimonio assistere iudutus vestibus sacris aut sponsis benedicere illa etiam simplici benedictione, quae in rituali habetur, quum parochus pronuntiat in matrimoniis fidelium ea verba: " Ego vos coniungo etc. „ quae etiam verba omittere prorsus deberet parochus; sed admittitur, imo praescribitur, ut parochus active assistat his matrimoniis eo sensu, ut illud faciat, quod tamquam

ipsi impedire possent et deberent, nec impediunt): at dicimus in voluntario indirecto spectari modum, quo voluntas tendit in obiectum et quidem in effectu, qui sequitur ex omissione, nihil esse quod interpretandum sit ac veluti coniiciendum divinando. Hoc autem prorsus differt ab interpretativo, ubi nullus est reapse actus. Quod vero confundant formale cum directo, inde est, quod directum sit quoque formale; at formale potest esse etiam indirectum; quia velle possum per omissionem pertingere ad effectum. Ut quid dicatur formale voluntarium satis est, si actus ponatur secundum voluntarii formam seu substantiam: hoc pacto formale est voluntarium *perfectum* et *imperfectum*, *simpliciter* etc. Neque vero quoties adest actus secundum suam formam, idcirco postulat partitio, ut sub eo aspectu res consideretur: absurde igitur semper promitur istud *formale*. — Alio tamen sensu consensum interpretativum appellat S. Thomas *de Verit. q. 15. a. 4. ad 10.* inquiens: — Antequam ratio delectationem perpendat vel nocumentum ipsius, non habet *interpretationem consensum*, etiamsi non resistat: sed quando iam perpendit ratio de delectatione insurgente et de nocumento consequente..., nisi expresse resistat, *videtur consentire*. — Ubi *consensus interpretativus* dicitur de eo, qui *censetur consentire*. Eodem forte sensu videbis hanc vocem usurpatam penes Suarez *in 1. 2. tr. 2 disp. 4. sect. 3. n. 2. sqq.* et clarius apud Azorium *tom. 1. lib. 4. cap. 6. q. 5. p. 323.* „.

notarius facit seu testis auctorizabilis, et proinde exquirat consensum a contrahentibus. Ex qua agendi ratione in parocho nulla exsurgere potest difficultas sive ex vetita cum haereticis communicatione in divinis, sive ex antiqua disciplina praescribente mere passivam assistentiam in odium horum matrimoniorum. Nam ante omnia patet permitti posse parocho hanc activam assistentia mintra limites supra dictos, quum ecclesia, dolenti quamvis animo, ex iustis rationibus permittat parti catholicae huiusmodi matrimonium contrahere et proinde ministrum esse sacramenti quoad partem haereticam. Praeterea hoc non repugnat antiquae et traditionali disciplinae ecclesiae, quae, exclusa semper celebrationemissae, multo plura quoad hoc permisit, quemadmodum videre est in epistola Gregorii XVI ad ep. Friburgensem 26 maii 1846 et in instructione Pii IX 15 nov. 1858 [1].

ARTICULUS II.

Conditiones requisitae ad licitam celebrationem.

§ I. — De praevia status liberi probatione.

80. Debet praeterea parocho constare de statu libero contrahentium. — 81. De exploratione sponsorum ex parte parochi. — 82. Quid importet status liber. — 83. De eo constare debet testimonio iurato. — 84. Ad hanc probationem instituendus processus. — 85. Quinam debeant interesse examini testium. — 86. Quid quoad vagos. — 87. Quaenam in hoc processu episcopi arbitrio relinquantur. — 88. Quid, transacto iam aliquo temporis spatio post factum processum. — 89. Quid in articulo mortis. — 90. Quid circa probationem status liberi pro secundis nuptiis. — 91. Quomodo habenda moralis certitudo de obitu prioris coniugis. — 92. De probatione ex coniecturis. — 93. An ex novo decreto immutatio introducta sit antiquae disciplinae.

80. Haec, quae hucusque diximus, non sufficiunt ut parochus (vel ordinarius, ut patet) assistant licite; ad

[1] Iuverit his quaedam referre ex introductione citata Pii IX. Dicit igitur inter alia Pontifex: "Ac Sanctitas Sua omnes archiepiscopos,

hoc enim plura requiruntur. Et in primis, ut constat ex prima paragrapho articuli quinti, parocho debet prius legitime constare de libero statu contrahentium, servatis de iure servandis. Quae prescriptio confirmat ea, quae iure communi hucusque statuta erant.

81. Nam ex antiqua etiam disciplina parochus, antequam deveniat ad matrimonio copulandos aliquos fideles, imo antequam ad banna pro aliquo matrimonio celebranda procedat, « tum sponsum tum sponsam seorsim caute, et, ut dicitur, ad aurem explorare studeat, an ex voluntate, sponte ac libenter et vero cum animi consensu in matrimonium vicissim coniungantur; nec non, quantum fieri potest, inquirere nitatur ullumme et cuius generis impedimentum inter contrahentes intercedat, aliisne fidem sponsionemque alter ex contrahentibus dederit, de consensune parentum filii filiaeque familias contrahant.

episcopos aliosque locorum ordinarios vehementer in Domino admonet, hortatur et excitat, eisque mandat, ut quum ipsi in posterum huius rescripti formula ab hac S. Sede obtinuerint facultatem dispensandi super impedimento mixtae religionis, in eadem facultate exsequenda nunquam desistant omni cura studioque advigilare, ut sedulo quoque impleantur conditiones de mixtis hisce matrimoniis extra ecclesiam et absque parochi benedictione alioque ecclesiastico ritu celebrandis. Quod si in aliquibus locis sacrorum antistites cognoverint, easdem conditiones impleri haud posse, quin graviora exinde oriantur damna ac mala, in hoc casu tantum Sanctitas Sua ad huiusmodi maiora damna ac mala vitanda prudenti eorumdem sacrorum antistitum arbitrio committit, ut ipsi, salvis firmisque semper ac perdiligenter servatis cautionibus de perversionis periculo amovendo a coniuge catholico, de conversione acatholici coniugis ab ipso coniuge catholico pro viribus procuranda, deque universa utriusque sexus prole in sanctitate catholicae religionis omnino educanda, iudicent, quando commemoratae conditiones de contrahendis mixtis hisce nuptiis extra ecclesiam, et absque parochi benedictione impleri minime possint, et quando in promiscuis hisce coniugiis ineundis tolerari queat mos adhibendi ritum pro matrimoniis contrahendis in dioecesano rituali legitime praescriptum, exclusa tamen semper missae celebratione, ac diligentissime perpensis omnibus rerum, locorum ac personarum adiunctis, atque onerata ipsorum antistitum conscientia super circumstantiarum veritate et gravitate „.

Haec aliaque huiusmodi momenta postquam parochi accuratissime exploraverunt, si aliquod eorumdem momentorum sive deficere aut nocere posse deprehenderunt, suspensis interea denuntiationibus, illud, quod obstare possit, deferre tenentur ad proprium antistitem, qui, prout res postulaverit, pro auctoritate munerisque sui debito opportune provideat ». *Const.* Ben. XIV « Ni miam licentiam » *23 maii 1743.* § *19.*

82. Inter haec omnia, ut patet, primum locum tenet interrogatio et exploratio circa *statum liberum* contrahentium [1], idest circa absentiam cuiuscumque impedimenti dirimentis, praesertim impedimenti ligaminis [2]. Nec solum hoc prudenter praescriptum est, sed praescriptus est etiam modus hoc probandi.

83. *Constare nempe debet de statu libero eorum, qui matrimonium contrahere volunt, iurato duorum testimonio* (duorum scilicet pro viro et duorum pro muliere), quamvis iidem duo possint pro viro et pro muliere testimonium ferre [3].

Ad hoc testimonium ferendum omnes admittuntur[4] mulieres quoque [4] et acatholici [5], dummodo constet eos esse fide dignos: at homines vagi et milites, nisi data causa et maturo consilio, non debent admitti [6]. Consanguinei tamen, imo etiam parentes seu genitores nupturientium [7], non solum non respuuntur, sed externis praeferuntur in hoc processu tamquam testes [8], quia prae-

[1] Cfr. Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 7. de ref. matr.*

[2] *Inst. S. U.I. sub Clemente X 21 aug. 1670;* GASPARRI *de matr. I. 172.*

[3] D'ANN. *III. 453;* GASPARRI *loc. cit. I. 172.*

[4] *S. U. I. 25 febr. 1847; Instr. eiusd. S. C. ad orientales locorum ordinarios 29 aug. 1890.*

[5] *S. U. I. 2 apr. 1873; ad ep. S. Alberti 9 dec. 1874.*

[6] *Instr. cit. S. U. I. 21 aug. 1670.*

[7] *S. U. I. 25 febr. 1847.*

[8] *Instr. cit. S. U. I. 21 aug. 1670 et 29 aug. 1890.*

sumuntur melius informati; propter eamdem rationem recipiuntur cives magis quam exteri [1].

84. *Ad probationem status liberi per se processus instituendus est*; iste autem processus faciendus est in curia episcopali loci, ubi sponsi contrahunt, et si ex ea dioecesi non fuerint, in dioecesi quoque originis (nisi eam non reversuri reliquerint impuberes adhuc), [2] licet in nova dioecesi a decennio et amplius commorentur, [3] iique sint ex dioecesibus circumvicinis vel etiam conterminis et ab eorum rectoribus cognoscantur. [4]

Nota, attestationem status liberi in foro civili habitam, vel etiam ipsum matrimonium civile iam celebratum, non sufficere pro probatione status liberi in foro ecclesiastico. [5]

85. Testium examini debet interesse in Urbe, praeter notarium, officialis specialiter deputandus ab eminentissimo Vicario et extra Urbem vel vicarius episcopi, vel aliqua alia persona insignis et idonea (de hac idoneitate episcopi est iudicare) ab episcopo specialiter deputanda; alias notarius arbitrio S. Congregationis puniri debet, et ordinarius non debet permittere publicationes fieri. [6]

Pro locis a civitate episcopali dissitis possunt episcopi vi indulti et solent deputare vicarios foraneos ad hoc examen, vel etiam parochos. [7] Huiusmodi autem deputati debent transmittere acta ad curiam episcopalem, cuius est expedire fidem status liberi. [8]

Si testes idonei, qui in curia episcopali sint cogniti,

[1] *Instr. cit. S. U. I. 29 aug. 1890.*

[2] *S. U. I. sine data apud Lucidi de vis. sacr. liminum vol. III. pag. 578. num. LXXII. ad 20.*

[3] *S. U. I. 25 febr. 1847.*

[4] *Instr. S. U. I. nuper cit. sine data.*

[5] *S. U. I. 2 apr. 1873.*

[6] *Inst. cit. S. U. I. 21 aug. 1670.*

[7] *S. U. I. 25 febr. 1847, 8 aug. 1900;* GASPARRI, *loc. cit. n. 174.*

[8] *S. U. I. 25 febr. 1847.*

non habeantur, notarius examen non recipiat, nisi, una cum persona testis, aliqua alia compareat cognita notario, et quae attestetur de nomine et cognomine ipsius testis, nec non de idoneitate eiusdem ad testimonium ferendum [1]. Et si testes omnino desint, vel unus tantum habeatur, peti debet a S. Congr. Inquisitionis, ut sponsis seu sponso iuramentum suppletorium de statu libero deferri sinat [2].

Indultum autem hoc admittendi ad iuramentum suppletorium (si quando a S. C. Inquisitionis ad certum quoddam tempus concessum est) locum dumtaxat habet, quando libertas status aliter legitime probari non potest [3].

86. *Quando agitur de vagis*, qui pluribus in locis versati sunt, debet haberi testimonium status liberi ab omnibus dioecesibus, in quibus aliquamdiu contrahentes moram traxerunt. Si tamen id difficulter admodum fieri possit, admitti poterunt in curia loci, ubi contrahitur matrimonium, testes fide digni, qui status libertatem tempore vagationis concludenter probent; et, si ordinario opportunum videatur, admitti etiam potest sponsus ad iuramentum suppletorium, dummodo constet, ipsum esse fide dignum. In casibus vero particularibus et difficilioribus episcopus recurrere debet ad Sacram Congregationem. Quod si matrimonium adeo urgeat, ut tempus recurrendi non adsit, episcopus curare debet concludentes probationes super status libertate, prout expediens iudicaverit, aliter colligere [4].

87. Attamen *quaedam sunt, quae episcopi iudicio relinquuntur*. Sic in Instructione nuper citata *in Adrien.*

[1] *Instr. cit. S. U. I. 21 aug. 1670.*

[2] D'Ann. *loc. cit. (13);* Gasparri *loc. cit. n. 181;* cfr. *Instr. S. U. I ad delegatum apostolicum Aegypti quoad probationes status liberi 11 ian. 1869; et responsiones eiusdem S. C. ad vic. apost. patr. Constantinop. 2 apr. 1873.*

[3] *S. U. I. (11 ian.) 1 febr. 1865.*

[4] *Instr. cit. S. U. I. 1 febr. 1865.*

1 febr. 1865 ad quaesitum: « an episcopus obligetur certiorem fieri per testium depositiones de libertate sponsorum, qui matrimonium contrahunt in sua dioecesi, ante publicationes, etsi nupturientes semper in eadem dioecesi domicilium foverint »; responsum est: « *Generatim loquendo*, affirmative »; et in responsionibus ad vicarium apost. patr. Constantinop. *2 apr. 1873*, ad dubium: « Quinta interrogatio testibus proponenda haec est: an sibi pro hoc ferendo testimonio fuerit aliquid datum, promissum etc.? Possetne omitti huiusmodi interrogatio, quum testis est persona distincta vel ob suum characterem, ut presbyteri, vel propter munus, quo fungitur, ut sunt v. gr. interpretes legationum, aliique administrationibus addicti? » responsum est: " Generatim loquendo negative, et ad mentem. Mens est, quod si, attenta conspicua qualitate et honestate testis, prudenter timeatur, ne ipse ex huiusmodi interrogatione offensionem accipiat, possit idem interrogatorium omitti „.

Pro testium depositione recipienda curia episcopalis ex decreto S. C. C. *10 iun. 1896* ea exigere potest, quae in Italia iuxta taxam regionalem, extra Italiam iuxta taxam provincialem statuta sunt; quae taxa si nondum fuerit statuta, standum erit consuetudini dioeceseos. Romae autem quaecumque taxa est prohibita, quum omnia acta, quae matrimonii celebrationem praecedere debent, gratis omnino pro omnibus, sint expedienda [1].

88. *Si post probatam status libertatem duo aut tres menses transierint, quin matrimonium fuerit celebratum, regulariter novus processus* pro hoc temporis spatio fieri deberet: ast pro casuum varietate res relinquitur prudenti arbitrio ordinariorum [2].

89. *Haec omnia cessant in articulo mortis,* intra quem scilicet probabiliter non adest tempus sufficiens faciendi

[1] *Mot. propr. Leon. XIII. 5 apr. 1902;* GASPARRI *loc. cit. I. 183.*
[2] *Instr. cit. S. U. I. 29 aug. 1890 et 25 febr. 1847.*

diligentias debitas: hoc tamen cauto, quod, si infirmus forte convaluerit, debeant fieri diligentiae secundum instructionem, antequam conveniant [1].

90. *Quoad probationem status liberi pro secundis nuptiis* seu quoad probationem obitus coniugis, nota ea, quae S. Congregatio de Prop. Fide rescripsit ad provic. apost. Tunk. Occid. *ann. 1792*. Postquam dixit, certum nuntium exspectari debere de morte prioris coniugis, priusquam novae nuptiae permittantur, subiungit: " Neque sufficit rumor incertus, aut diuturna coniugis absentia, aut probabilia argumenta illum interiisse, sed vel testem omni exceptione maiorem adesse oportet, qui vidisse se mortuum priorem coniugem sacramenti religione confirmet, aut tales coniecturae de illius interitu intervenire debent, quae prudentem virum ita plane esse morali quadam certitudine persuadeant. Allatae a vobis calamitates belli, famis, captivitatis, aliaeque huius generis, quae vastitatem regioni ac plurimis interitum attulerunt, non tanti ponderis sunt, ut viris aut mulieribus, qui coniuges amiserunt, passim permitti possit novas nuptias appetere. Quamobrem si qui iam nova coniugia contraxerunt, et quidem in bona fide existimantes, se per interitum coniugis a priori coniugii vinculo absolutos, relinquendi sunt in bona fide, quia bonae fidei possessor turbari a possessione non debet : si eorum alter dubius et anceps est, reddere quidem debitum potest, non autem petere. Si demum uterque mala fide contraxit, iam sunt omnino separandi. Cavendum praeterea et illud est, quod, si fortasse contigerit, priorem coniugem, quem mortuum putabant, adhuc in humanis exsistere, tunc secundae nuptiae sunt omnino irritandae, et dimisso posteriori coniuge, ad priorem reverti unusquisque tenetur ».

Haec omnia plenius evolvuntur et explicantur in pluribus Instructionibus S. Officii, quarum praescripta ad

[1] *Instr. cit. S. U. I. sine data, et 29 aug. 1899.*

haec summatim reducuntur. Quum de coniugis morte quaestio instituitur, notandum primo loco, quod argumentum a sola ipsius absentia quantacumque (licet a legibus civilibus fere ubique admittatur) a sacris canonibus minime sufficiens ad iustam probationem habetur; quod valet etiam tunc, quum edicto regio coniux absens evocatus (idemque dicendum est, si per publicas ephemerides id factum sit) nullum suimet indicium dederit: quod enim non comparuerit, non magis mors in causa esse potuit, quam eius contumacia [1]; sed requiritur omnino moralis saltem certitudo ipsius obitus.

91. *Sufficiens autem huiusmodi certitudo habetur ex instrumentis authenticis et plenam fidem de obitu facientibus* (ut esset publica scriptura magistratus cuiusdam sive ecclesiastici sive civilis, vel notarii etc.), et etiam ex testimonio duorum *de visu* (qui scilicet viderint illum morientem, vel funus, vel sepulcrum eius). Admittitur etiam aliquando ad hoc probandum testimonium unius, dummodo et is sit omni exceptione maior, et eius depositio gravibus adminiculis fulciatur.

92. *Deficientibus testibus, ne ipsa quidem probatio obitus ex coniecturis, praesumptionibus etc. respuitur*, sed est exitus difficillimi.

Tunc autem in primis illae praesumptiones investigandae sunt, quae personam ipsius asserti defuncti respiciunt, quaeque facile haberi possunt a coniunctis, amicis, vicinis quoquo modo notis utriusque coniugis.

In horum examine requiri haec poterunt: an ille, de cuius obitu est sermo, bonis moribus imbutus esset; pie religioseque viveret; uxorem diligeret; nullam sese occultandi causam haberet; utrum bona stabilia possideret, vel alia a suis propinquis aut aliunde sperare posset; — an discesserit, annuentibus uxore, coniunctis; quae tunc eius aetas et valetudo esset; — an aliquando, et

[1] Pius VI *ad arch. Pragensem 11 iul. 1789.*

quo loco scripserit, et num suam voluntatem quamprimum redeundi aperuerit, aliaque huius generis indicia colligenda sunt.

Alia etiam ex rerum adiunctis pro varia absentiae causa colligi indicia sic poterunt: *si ob militiam abierit*, a duce militum requiri oporteret, quid de eo sciat; utrum alicui pugnae interfuerit; utrum ab hostibus fuerit captus; num castra deseruerit aut destinationes periculosas habuerit, etc.; — *si negotiationis causa iter susceperit*, inquirere oporteret, utrum tempore itineris gravia pericula fuerint ipsi superanda; num solus profectus fuerit vel pluribus comitatus; utrum in regionem, ad quam se contulit, supervenerint seditiones, bella, fames et pestilentiae, etc.; — *si maritimum iter fuerit aggressus*, sedula investigatio facienda esset a quo portu discesserit; quinam fuerint itineris socii; quo se contulerit: quod nomen haberet navis, quam conscendit; quis eiusdem navis gubernator; an naufragium fecerit; an societas, quae navis cautionem forsan dederit, pretium eius solverit, aliaeque circumstantiae, si quae essent, diligenter essent perpendendae. Fama quoque aliis adiecta adminiculis, argumentum de obitu constituit, hisce tamen conditionibus, nimirum, quod a duobus saltem testibus fide dignis et iuratis comprobetur, qui deponant de rationabili causa ipsius famae: an eam acceperint a maiori et saniori parte populi, et an ipsi de eadem fama recte sentiant: nec sit dubium, illam fuisse concitatam ab aliis, in quorum commodum inquiritur. Si opus fuerit, praetereunda etiam non esset investigatio per publicas ephemerides, datis directori omnibus necessariis personae indiciis, nisi ob speciales circumstantias saniori ac prudentiori consilio aliter censeatur [1].

Haec eadem ex parte iterum resolvit sacra Congre-

[1] Haec omnia proponuntur a sacra Congregatione Inquisitionis in Instructione *ann. 1868*. Conferri possunt aliae quoque Instructiones eiusdem Sacrae Congregationis *ad deleg. ap. Aegypti 11 ian. 1869; ad ordinarios de iudiciis eccles. circa causas matrimoniales (tit. 6. art. 4) 39 iun. 1883; ad episcopos Orientales 22 aug. 1890.*

gatio Universalis Inquisitionis *die 6 maii 1892*, simul declarans, non necessario esse extrahendas a duobus tribunalibus duas sententias consentaneas mortem coniugis declarantes, sed sufficere unam sententiam quasi supplentem documentum de statu libero partis, nisi forte aliquis ex interesse habentibus appellationem interposuerit. Eadem sacra Congregatio Universalis Inquisitionis *die 3 maii 1893*, respondit, testimonium iuratum ipsius coniugis in defectu aliorum adminiculorum per se non sufficere ad probandum obitum alterius coniugis et ad hoc ut coniux superstes admittatur ad novas nuptias ; sed ad eamdem sacram Congregationem recurrendum esse in casibus particularibus.

93. Hic adnota ex verbis decreti non immerito videri *discrimen aliquod in hoc introductum fuisse inter antiquam et novam disciplinam.* Scilicet hucusque, ut supra nuper dicebamus, curiae episcopalis erat saltem de iure (de facto enim ex consuetudine extra Italiam et alicubi etiam in ipsa Italia) [1] processum conficere ad statum liberum probandum, quo facto, si omnia recte processissent et status liber probatus fuisset, curia debebat ad parochum mittere fidem de statu libero, ex qua poterat parochus ad matrimonii assistentiam procedere. *Ex iure novo videbatur hoc parochis commissum.* Attamen emi Patres in congregatione pluries citata diei 1 febr. 1908 ad quaesitum: « An a decreto *Ne temere* abolita sit lex aut consuetudo in nonnullis dioecesibus vigens, vi cuius a curia episcopali peragenda sunt acta, quibus constet de statu libero contrahentium et dein venia fiat parochis assistendi matrimoniis » responderunt: « Servetur solitum ». Ex qua responsione colligitur *canonizatam fuisse per novum decretum consuetudinem iuri communi contrariam alicubi vigentem, de processu status liberi ab ipsis parochis conficiendo*, non autem immutatum ius commune, ubi eius praescriptiones adhuc servantur.

[1] Gasparri *l. c., I, 172 sqq.*; Gennari, *Breve commento della nuova legge sugli sponsali e sul matrimonio* [2] *pag. 27 in nota.*

§ II. **Quinam sit parochus, qui licite matrimonio assistit.**

94. De necessitate domicilii aut menstruae commorationis sponsorum in parochia, ut parochus licite assistat eorum matrimonio. — 95. An exinde quasi domicilium a legislatione canonica fuerit expunctum. — 96. An ordinarius licite assistat matrimoniis eorum, qui *in dioecesi,* non autem in parochia dioecesis, a mense commorantur — 97. Quid sit haec menstrua commoratio. — 98. Quid de ultima die mensis. — 99. Alia dispositio decreti quoad liceitatem.

94. Praeterea parochus, ut licite assistat, quamvis non debeat esse stricte parochus proprius alterutrius contrahentis, *debet eos tamen aliquo modo subditos sibi habere, vel quia in eius parochia unus saltem e contrahentibus domicilium foveat, vel quia unus saltem in ea a mense commoretur.*

95. *Quaeres forte, an,* ex eo quod in decreto dicatur parochum tantummodo domicilii vel menstruae commorationis licite matrimoniis assistere et nulla facta fuerit mentio quasi domicilii, *ipsum quasi domicilium a legislatione matrimoniali expunctum omnino fuerit.*

Gennari [1] stat pro affirmativa sententia: « L'antica disciplina, oltre il domicilio, ammetteva il quasi domicilio di almeno uno dei contraenti nella propria parrocchia, perchè il parroco avesse diritto di assistere al loro matrimonio. La nuova disciplina, oltre al domicilio, non ammette per tale effetto che la dimora di un mese ». Huic sententiae adhaeret Wermeersch [2] et Leitner [3]. Et certe haec sententia fundamento non caret. In ipso enim decreti prologo legitur quasi domicilium multas in re matrimoniali difficultates creasse, ad quas etiam amovendas necessarium fuit novam de matrimonii celebrabratione legem componere. Praeterea de quasi domicilio

[1] *l. c. p. 49.*

[2] *l. c. n. 65.*

[3] *Die Verlobungs- und Eheschliessungsform nach dem Dekrete Ne temere § V. III, 1.*

nullibi fit mentio in decreto, ne in hoc quidem loco, ubi ipsa rei natura id postulare videbatur. Verum haec omnia non talia esse videntur, quae rem conficiant. Difficultates enim, quae ex quasi domicilio ortae sunt, et quas voluit legislator in nova statuenda legislatione cavere, ex eo oriebantur, quod quasi domicilium constituit parochum proprium, et assistentia proprii parochi ad validitatem requirebatur. Nunc autem quilibet parochus potest valide assistere; omnes igitur huiusmodi difficultates evanuerunt, etsi dicamus quasi domicilium non fuisse omnino abolitum et expunctum a matrimoniali legislatione. Solummodo quasi domicilium remaneret igitur ad liceitatem assistentiae, ex quo difficultas nulla esset, vel saltem non magni momenti, praesertim quoad praxim et effectus. Quod autem hic de quasi domicilio mentio nulla fiat, non videtur probare eius abolitionem. Quasi domicilium enim in legislatione canonica adhuc viget et hucusque manet illud, quod hucusque admittebatur, quasi domicilium subditum facere et parochianum [1], et advenam, seu eum qui alicubi quasi domicilium fovet, posse eo loci omnia sacramenta suscipere, quae a parocho fidelibus ministrantur, ibidem, si ibi decesserit, sepeliendum esse. Porro non videtur probabile tacite inductam fuisse pro matrimonio abolitionem iuris antiqui, quod relate ad alia sacramenta adhuc viget; multo magis quod praesens decretum ampliorem etiam potestatem parochis faciat licite assistendi, quum ipsis hoc permittatur, etsi tantum constiterit de menstrua commoratione. Quare videtur mihi, stante complexu et indole totius canonicae legislationis quasi domicilium in re matrimoniali adhuc suum locum habere [2]. Hic autem quasi domicilium implicite contentum dicerem

[1] D'Ann. *I, 86.*

[2] Placeret quidem quasi domicilium non pro matrimonio tantum, sed omnino expungi ab universa canonica legislatione; multo magis quod nec in iure romano nec in recentioribus legislationibus hoc quasi domicilium admittatur. Sic universi iuris nostri convenientia et harmonia salva esset. Sed res est, quae a futuro codice componenda est.

in domicilio, vel potius, argumento quodam a fortiori, in menstrua commoratione [1].

96. Quaeres etiam *utrum requiratur ex novo decreto ad licitam assistentiam domicilium et menstrua commoratio in parochia, an sufficiat in dioecesi.* Quod quidem quoad parochum dubitationem non admittit, quum evidenter, requiratur domicilium vel menstrua commoratio in parochia. Sed quid dicendum de ordinario? An licite assistit ordinarius matrimoniis eorum, qui per mensem in suo territorio commorati sunt, et quomodo in casu intelligendum est domicilium? Bucceroni [2], Gennari [3], Alberti [4] putant sufficere, ut matrimonium contracturi habeant domicilium vel commorentur a mense *in dioecesi*, si ordinarius assistat. Quod Bucceroni et Gennari nulla adducta ratione asserunt; Alberti ex eo probare intendit quod in decreto dicatur, sufficere commorationem unius mensis in loco matrimonii. Verum videtur mihi contrarium dicendum. Nam domicilium iure canonico non intelligitur nisi in parochia, nec ullum hucusque fuit domicilium dioecesanum, sed parochiale tantum, quemadmodum iure civili nullum est domicilium in provincia, sed in municipio aut in communi [5]. Prae-

[1] Hoc autem ex eo magis apparere videtur, quod, si consideremus originem istius praescriptionis de necessitate et sufficientia facti menstruae commorationis, ea in re matrimoniali inducta est veluti ampliatio quasi domicilii. Quum enim, ut supra diximus (n. 30), ad constituendum parochum proprium iure tridentino requireretur vel domicilium vel quasi domicilium, pro Statibus foederatis Americae septemtrionalis ex privilegio statutum fuit, eos, qui ibidem per spatium unius mensis in aliqua parochia commorati essent, censendos fore eo ipso in ordine ad matrimonium habere ibidem quasi domicilium, quin facienda esset inquisitio de animo in loco manendi per maiorem anni partem. Hoc privilegium Statuum foederatorum Americae septemtrionalis factum nunc est universale, et universae ecclesiae est extensum.

[2] *Th. mor.* [5] *Suppl. XVI. n. 12.*

[3] *loc. cit. pag. 26.*

[4] *Commentarium in recens decretum S. C. C. de sponsalibus et matrimonio n. V. litt. b.*

[5] Cfr. *C. C. it. a 17.* et quae supra diximus n. 28.

sumi autem in interpretanda lege necesse est, legislatorem verba usurpasse secundum eam significationem, quam habent in iure, nisi aliud expresse caverit. « Verba, ait D'Annibale [1], ea significatione accipienda sunt, quae propria et usu seu vulgari seu iuris recepta est. Ab hac autem recedi non oportet, nisi quum manifestum est aliud sensisse legislatorem, imo manifestissimum ». Verum quidem est, legislatorem non dixisse *in dioecesi*, sed *in loco matrimonii;* et ideo interpretari necesse est eius mentem, nam secus nulla esset in verbis ambiguitas, et tunc « non debet admitti voluntatis quaestio » [2]. Porro verba, quae in lege posita sunt, certe dioecesim non dicunt: locus enim, in quo matrimonium contrahitur, per se dicere potest parochiam, dioecesim, ecclesiam ipsam universalem. Quo ergo in sensu accipienda sunt? Et certum est ea esse accipienda in eo sensu, qui magis consonus est universae canonicae legislationi. Porro non solum ex eo quod domicilium iure nostro nonnisi in parochia intelligitur, sed etiam ex eo, quod locus maxime proprius matrimonii iure nostro parochia est, quum per se matrimonium fidelium in parochiali ecclesia est celebrandum, certum mihi est, legislatorem hic voluisse cavere, ut ad liceitatem assistentiae necesse sit, ordinario constare de domicilio vel menstrua commoratione sponsorum in aliqua parochia suae dioecesis. Quare puto, ordinarium licite non posse assistere matrimonio duorum, quorum ambo, habentes alibi domicilium, in dioecesi sua morantur quidem, a longo etiam tempore, quin tamen in una eiusdem dioecesis parochia commorationem unius saltem mensis traxerint. Casus erit rarissimus, non tamen omnino impossibilis. Difficillimum quidem erit, quod verificetur in famulis et famulabus: sed verificari forte poterit in institoribus (*commessi viaggiatori, commis voyageurs, Geschäftsreisende, encargados viajeros),* qui forte per mensem et amplius aliquam dioecesim pera-

[1] *I. 184* [3].
[2] *I. 25 de legatis III. C. (XXXII).*

grantur ad vendendas merces, quin tamen in aliqua parochia per mensem totum consistant. Nec difficultas ulla practica enascitur ex tali interpretatione, non solum quia difficile est, tales etiam institores velle contrahere matrimonium cum muliere, quae et ipsa a mense saltem in parochia non commoretur; sed etiam quia omnes istae conditiones ad liceitatem tantum requiruntur, non autem ad validitatem [1].

[1] Haec omnia confirmationem quamdam accipere videntur ex eo, quod non fuerit receptus canon eximii Defensoris vinculi matrimonialis, qui in suo schemate n. 6 proponebat canonem sequentem: " Casu contingente, ut quis saltem per mensem seu triginta dies in aliqua dioecesi fuerit commoratus, quin stabilem sedem in certa parochia habuerit, eius matrimonio assistere licite poterit (servatis servandis) ordinarius atque sacerdos quilibet ab eo delegatus „.

Videntur potius Patres accessisse ad canonem propositum ab Exmo D. Sili, qui in § 2. cap. 2. sui schematis sequentia proponebat: " Requiritur praeterea (ad liceitatem) ut matrimonium celebretur coram parocho, cui alteruter contrahentium subditur ratione domicilii, vel in cuius paroecia saltem a mense continuo commoratur, aut coram ordinario, in cuius dioecesi sita est paroecia domicilii vel menstruae commorationis, aut coram alio sacerdote de praedicti parochi vel ordinarii licentia „.

Cl. vinculi Defensor superiori canoni a se proposito sequentem addidit notam: " Hoc modo evertitur sat recens decisio S. Officii, qua edictum est non posse nos contrahere *in ordine ad matrimonium* domicilium seu quasi domicilium in dioecesi, nisi mediante parochia. Quod (absit verbo invidia) semper putavi non multum cohaerere principiis organizationis ecclesiasticae, iuxta quae *antea* concipitur *christianus*, postea *dioecesanus*, tandem *parochianus*. Reapse paroeciae nonnisi serius institutae sunt in commodum regiminis ecclesiastici et potissimum in subsidium episcoporum, qui semper fuerunt, quippe quos *Spiritus Sanctus posuit regere ecclesiam Dei*. Argumentum autem depromptum ex necessitate publicandi caput *Tametsi* in singulis paroeciis mihi non placet et inconcludens videtur, quum mens Patrum tridentinorum fuerit consulere bono fidelium et vitare simul plura coniugia invalida ex parte acatholicorum, non vero sancire principia, quae videntur evertere fundamenta regiminis ecclesiastici. Et reapse quis non statim perspectam habet (iterum absit verbo invidia et irreverentia) anomaliam, quae in eo habetur, ut quis habitans per integram vitam v. g. Mediolani, sed nulla constituta certa sede in certa paroecia (quod potest esse verum de famulis et ancillis ita dictis *non fixis*), videatur tamen non posse ibidem matrimo-

97. *Quum autem hic agatur de menstrua commoratione, notandum est quid ea significet.* Porro generatim mensis, si non est definita dies, a qua computatio incipitur, ut in casu nostro, secundum quosdam semper triginta

nium contrahere? Reapse non potest contrahere *coram parocho*, quia parochum (ut supponimus) non habet, neque ratione domicilli, neque ratione quasi-domicilii. Non *coram ordinario*, quia non potest habere ordinarium in ordine ad matrimonium, nisi mediante parochialitate, qua caret. Non tandem *iure vagorum* coram quolibet ordinario seu parocho, quia vagus non est. Dixeris forsan esse *vagum* in ordine ad matrimonium? Falsum, nam si supponimus aliquem ex istis, v. g. Titium, licet Mediolani commorando per longissimum forsan tempus, domicilium domi retinuisse (v. g. Placentiae) tum certe vagus non est in sensu iuris, et hinc requireretur delegatio parochi proprii. Supposuerimus e contra domicilium primaevum dereliquisse? et tunc non est forsan anomalum ponere Titium habere in civitate Mediolanensi domicilium seu quasi domicilium quoad cetera negotia ecclesiastica, *uno excepto coniugio?* Coram quo ergo contrahet? „ Optimo quidem iure Patres rationem plurium, quae hic iustissime ab eximio vinculi Defensore dicta sunt, rationem habuerunt in novo preparando decreto; vereor tamen ne omnia quae dicta sunt, admittenda sint. Nam verum quidem est aliquem concipi prius christianum, postea dioecesanum, tandem parochianum, si attendamus ad subiectionem ecclesiae debitam; sed hoc falsum videtur etiam in ipso ordine intentionali, si ad alia attendamus, multo autem magis in ordine reali. Aliquis enim non prius fit christianus, postea dioecesanus, tandem parochianus, sed simul et christianus et dioecesanus et parochianus de facto fit. Imo in ipso ordine intentionali ius prius videtur concipere parochianum quam christianum, quum non faciat ius parochis administrandi baptismum, nisi illis, qui in sua parochia habent domicilium vel quasi domicilium. Neque contra est, quod parochiae postea institutae fuerint; hoc enim probat, ante institutionem parochiarum alium ex necessitate rerum fuisse conceptum domicilii, parochiis vero institutis immutatum fuisse. Et hoc optimo quidem iure, meo iudicio, factum est; boni enim publici interest, ut domicilium non ex maioribus alicuius societatis divisionibus desumatur, sed ex infimis, ut ita dicam. Domicilium enim inservit ad hoc ut quis in societate recte utatur iuribus socialibus, socialesque obligationes adimpleat. Ad hoc autem semper conducit quod domicilium desumatur ex minoribus divisionibus societatis; quod quidem pro omnibus societatibus verum est, sed multo magis pro ecclesia, ubi, si attendamus praesertim ad obligationes, tales eae sunt natura sua, ut earum adimplementum multo magis in tuto ponatur per circumscriptionem territorii magis limitatam, quam per largiorem. Neque inducendum est discrimen inter domicilium quoad matrimonium et quoad alia; hoc enim esset

diebus constat[1]; secundum alios debet computari prout iacet in calendario [2]. Hic igitur stante dubia sententia Doctorum poterit quis mensem sumere quasi spatium triginta dierum, imo, si de mense februario agatur, pro spatio viginti octo vel viginti novem dierum, prout fuerit non bissextilis aut bissextilis.

98. *Quid autem dicendum de ultima die?* Sufficitne esse inchoatam aut debet esse perfecta? Diem coeptam pro completa haberi tradunt iuristae [3], quoties id alicui utile est, aut alioqui favorabile. Hinc in favorabilibus, non autem in odiosis regula: *dies termini non computatur in termino* [4]. Quum igitur in lege non dicatur expresse mensem commorationis debere esse expletum de momento ad momentum, et simul agatur de re et partibus et parocho favorabili, poterunt partes licite contrahere et parochus licite assistere matrimonio etiam trigesima die incoepta ab inita in parochia commoratione.

99. His dispositionibus, quae ad liceitatem requiruntur, in § V articuli quinti accedit regula consuetudinem firmans iam introductam, scilicet, nisi iusta habeatur causa excusans, *matrimonium esse celebrandum coram parocho*

maxime illogicum et anteiuridicum. Domicilium igitur iure nostro recte in parochia constituitur, ita ut quis immediate parochianus fiat, mediate autem dioecesanus. Notio vero christianeitatis alia omnino est, et a domicilio omnino praescindit; quemadmodum iure romano notio civitateitatis a domicilio praescindebat; poterat enim quis esse civis romanus, qui tamen in imperio nullum haberet domicilium. Cfr. *l. 7. de incolis, et ubi etc. C. X. 39.* Pariter potest quis esse christianus, quin tamen ullum habeat in ecclesia domicilium.

[1] Et ita statutum est ex gr. in Cod. Civ. italico a. 2133 pro praescriptionibus.

[2] Cfr. Lugo *de iust. et iure disp. XXII. n. 314*, et ita statutum est ex gr. in Cod. Comm. italico a. 285 pro computando tempore, ex quo peti potest solutio alicuius syngraphae nummariae (*cambiale*).

[3] Cfr. Vinnium, *Comm. in Inst. Iust. lib. I. tit. 23.*

[4] Barbosa, *Axiom. 71, n. 5*; *l. 101 de div. reg. iur. ant. C. L. 17.*

sponsae potius quam sponsi, qui proinde etiam ille est qui alteri sacerdoti licentiam dare potest assistendi.

ARTICULUS III.

De licentia assistendi ab iis habenda, qui iure proprio non assistunt.

§ 1. — De natura huius licentiae, et a quonam ea danda sit.

100. Praeter superius dictos ordinarie sacerdos quilibet ad assistendum eget licentia parochi vel ordinarii. — 101. Etiam parochus vel ordinarius extra limites sui territorii. — 102. An haec licentia coincidat cum licentia seu delegatione antiqui iuris. — 103. An hanc licentiam facere possit parochus excommunicatus vel suspensus.

100. Haec necessario requiruntur, ut parochus matrimoniis fidelium licite assistat: si alterum ex supra dictis desit, quia nemo ex contrahentibus in parochia domicilium habet aut menstruam commorationem, parochus relate ad hos contrahentes, quoad licitam assistentiam, se habet, perinde ac si parochus non esset, et regitur legibus, quibus quilibet alius sacerdos regitur. Dixi: quoad licitam assistentiam; nam semper manet illud, quod supra diximus, parochum ex praesenti decreto intra certos limites, etsi illicite, valide matrimoniis assistere, dum contra sacerdos non parochus et illicite et invalide assisteret.

101. *Parochus* igitur et *loci ordinarius* quoad matrimonia eorum, qui in eorum parochia aut loco iurisdictionis domicilium non habent aut menstruam commorationem, *ad licitam assistentiam* praestandam: quilibet *sacerdos non parochus* quoad matrimonia omnium fidelium, *ad licitam et validam* assistentiam *necesse habent obtinere licentiam illius parochi vel ordinarii,* qui tali matrimonio iure suo et valide et licite assistit; duobus tantum exceptis casibus, de quibus statim dicam.

102. Licentia autem ista a Gennari [1] distinguitur a delegatione, quae in antiqua disciplina in simili casu requirebatur.

Mihi quidem nulla in hoc videtur inducta immutatio. Ea, quae antiquitus delegatio dicebatur, in novo decreto licentia vocatur; est autem nil aliud quam parochi consensus. Et forte novum decretum ideo a voce delegationis abstinuit, quia stricte loquendo hic non agitur de iurisdictione, quum parochus et ordinarius matrimoniis assistendo nullam iurisdictionem exerceant; vox autem delegatio ad iurisdictionem magis pertinet.

Potius dicerem ex novo decreto duplicem nos habere speciem licentiae quae a parocho concedi potest; altera ad validitatem, quae non sese extendit ultra limites sui territorii; altera ad liceitatem, quae non respicit territorium sed personas contrahentium.

103. Dicebam paullo ante hanc licentiam dandam esse, generaliter loquendo, a parocho vel ordinario, qui iure suo possunt tali matrimonio assistere. Sed statim quaeri potest: *Parochus vel ordinarius publico decreto nominatim excommunicatus vel ab officio suspensus potestne hanc licentiam alteri concedere?* Et Gennari [2], hoc expresse negat. Mihi verior videtur sententia contraria. Dicitur enim quidem in decreto, quod huiusmodi parochus vel ordinarius non potest matrimoniis assistere; sed ne verbum quidem est, quo caveatur ne hanc eamdem potestatem alteri faciat. Sed an dici potest, ex primo alterum sequi, scilicet ex eo quod ipse personaliter non possit assistere, ne alteri quidem posse hanc licentiam concedere? Verum quidem est, quod in iure quaedam habemus, ex quibus hoc deduci posse videtur. Nam invocari ad hoc possent notae regulae 68 et 72 iuris in 6°: « Potest quis per alium, quod potest

[1] " L'antica disciplina pei contraenti estranei, oltre il consenso del parroco, almeno di uno di essi contraenti, richiedeva pel matrimonio anche la delegazione; la nuova disciplina richiede a ciò solo il consenso „. GENNARI *l. c.*, pag. 50.

[2] *l. c., pag. 51.*

facere per seipsum », et « Qui per alium facit perinde est ac si faciat per se ipsum ». Verum sensus regulae in prima est praecise affirmativus, non vero negativus; ita ut per eam statuatur, eum, qui aliquid per seipsum facere potest, ordinarie illud ipsum posse per alium facere, quamvis et huic principio ex ipsa quoque natura rei suae sint exceptiones. Excludendus autem omnino est negativus, quasi scilicet nemo posset per alium, quod per se ipsum facere non potest, ut videbimus. In altera vero admonemur non solum, quod quis, alterius in suum locum surrogatione facta, per hunc facere potest, quod faceret per seipsum, quemadmodum alia regula citata tradit, sed etiam quod ille, qui vicaria alterius opera utitur, ipse perfecisse videtur, quod alter fecit; vere enim is fecit per alium. Quare sensus regulae est, eum, qui facit per alium, quamvis non sit physica causa operationis illius, esse tamen causam moralem, cui etiam imputatur operatio. Nullo autem modo lex ita est interpretanda, ut sensus sit, eum, qui prohibetur ne aliquid ipse agat, prohiberi etiam ne illud ipsum agat per alium, quia perinde esset ac si faceret ipse. Quod adeo verum est, ut non unum in iure invenire possimus exemplum alicuius, qui per alium potest, quod per seipsum non potest. Sic ii, qui propter fastigium dignitatis, quia illustres personae sunt, per se litigare non poterant, litigare tamen poterant et aliquando etiam debebant per procuratorem; et hoc idem procedit non solum propter fastigium dignitatis, sed etiam propter defectum discretionis, ut in pupillis, furiosis, prodigis, vel propter delictum et periculum, ex quo excommunicatus, qui non potest agere sed conveniri, debet per alium in iudicio experiri. Habemus praeterea quoad hoc exemplum evidentissimum in iure, scilicet vicarii capitularis, qui non potest ordines conferre, etsi possit litteras dimissoriales ad ordines dare; et idem est de abbate seu praelato nullius, qui suis subditis secularibus potest dare dimissorias ad ordines, sed ordines, minores quoque,

eisdem conferre non potest, quamvis hos conferre possit suis subditis regularibus. Non igitur repugnat, attenta etiam indole iuris nostri, quod quis non possit aliquid personaliter agere, quod tamen agendum committere alteri possit. Quare quum in decreto caveatur tantummodo, ne parochi nominatim excommunicati aut ab officio suspensi possint personaliter matrimoniis assistere; et ex alia parte generalibus verbis dicatur parochum et loci ordinarium facultatem alteri sacerdoti facere posse ut hoc idem praestent, valida mihi omnino videtur delegatio seu licentia alicui sacerdoti facta a parocho nominatim excommunicato aut ab officio suspenso.

In hac autem sententia tuenda ex eo magis confirmor, quod, meo quidem iudicio, parochus nihil aliud facit, alium sacerdotem sibi substituendo in munere assistendi alicui matrimonio, quam conditionem ponere, ad hoc ut in sacerdote, cui ab eo licentia facta est, ex ipso iure descendat qualitas testis auctorizabilis, qui nomine ecclesiae tali matrimonio assistat. Moveor autem, quia in decreto art. 6.° dicitur parochus vel loci ordinarius *licentiam* concedere posse. Haec autem licentia nullo modo probari potest includere aliquam participationem potestatis, quae a parocho in sacerdotem, cui licentiam ipse facit, descendat. Quare ea sic videtur concipienda ut sit actus quidam praerequisitus, quem parochus vi sui muneris, quousque illud retinet, ponere potest, et quo posito ius ipsum testem facit auctorizabilem. Hoc autem videtur probari ex eo quod non parochus, sed ipsum ius debet constituere testes auctorizabiles, quum ne ipse quidem parochus vi sui muneris talis esset, nisi hoc a iure ei fuisset concessum. Nec parochus insuper hac qualitate testis auctorizabilis praeditus absque expressa iuris concessione posset licentiam assistendi alteri sacerdoti facere.

§ II. — **De conditionibus, sub quibus haec licentia danda est.**

104. Licentia haec danda sacerdoti determinato. — 105. Et circumscripta ad limites territorii concedentis. — 106. An etiam si agatur de alio parocho aut ordinario loci. — 107. An quis ex novo decreto possit umquam assistere matrimoniis extra territorium concedentis licentiam. — 108. Quid praestare debeat assistens ex licentia.

104. *Licentia autem haec danda est ex decreto sacerdoti determinato ac certo.* Ex quo facile patet, nihil quoad hoc immutatum esse quoad multa, quae ex antiquo iure a doctoribus tradebantur, uti facultatem hanc dari posse et speciali et generali delegatione, quemadmodum supra dicebamus [1]; aut vice-parochos, qui positi sunt cum plenitudine pastoralis ministerii. censendos esse habitualiter delegatos ad matrimonia omnium fidelium ex parochia [2] et alia huiusmodi. Ratio autem est, quam tradit Gennari [3], et est maxime obvia, ex decreto scilicet requiri ut licentia concedatur certo sacerdoti, non pro certo matrimonio. Soluta autem exinde est quaestio, et quidem in sensum negativum, quam attigimus supra n. 34; scilicet sententia card. De Luca, Lehmkuhl et aliorum, qui volebant invalidam esse delegationem, quae directe procederet ex electione partium, quia scilicet parochus partibus, mulieri seu viro, licentiam dedit contrahendi matrimonium coram quocumque sacerdote ab eis vel ab eo electo, certa evasit in nova disciplina; haec enim licentia eo modo dato, concessa profecto esset sacerdoti incerto et indeterminato. Contra non fuit in decreto soluta altera quaestio, quam supra etiam innuimus [4], scilicet an sufficiat delegatio seu licentia tacita: quae tunc locum haberet, quum parochus videret sacerdotem quem-

[1] Confer. n. 32.
[2] Confer. n. 25, 33.
[3] *Loc. cit., pag. 29.*
[4] Confer. n. 31.

dam in eo esse ut assisteret alicui matrimonio, et non contradiceret.

105. *Parochus hanc licentiam assistendi sacerdoti etiam certo facere non potest, nisi circumscripta ad limites sui territorii.* Hoc enim expresse in decreto cavetur, et consonat cum aliis decreti dispositionibus; multo magis quod secus videretur parvipendere iura alterius parochi, qui ex novo decreto validus semper est in suo territorio testis auctorizabilis pro celebratione alicuius matrimonii.

106. Sed hic statim exsurgit quaestio. *Haec limitatio valet ad delegationem tantum alterius sacerdotis aut ad delegationem quoque alterius parochi aut ordinarii loci?*

Adhaerendum in hoc mihi videtur Gennari [1], qui sine haesitatione respondet hoc valere quidem pro simplici sacerdote, non autem pro alio parocho aut loci ordinario, qui, ut ipse ait, valide in suo territorio assistit ex articulo quarto, licite autem ex articulo quinto (n. 3).

107. Sed an dicendum, in nova disciplina *nunquam amplius dari posse casum, quo sacerdos nec parochus nec loci ordinarius extra limites territorii parochi delegantis assistere possit matrimoniis*? Casus non raro accidere potest; et hic Romae erit valde frequens. Titius et Titia viri nobilissimi volunt matrimonium contrahere coram aliquo emo cardinali in eius sacello. An is nequit matrimonio assistere, quia domicilium habet extra parochiam alterutrius sponsi, vel recurrendum erit ad ipsum Rom. Pontificem, quum cardinalis nec parochus sit nec ordinarius loci? Quod in cardinali exemplificavimus, de aliis quoque praelatis et sacerdotibus dici potest. Et quoad hoc ego quidem non puto hanc esse mentem decreti, multo magis quod nulla fuisset ratio inducendi huiusmodi immutationem. Neque hoc mihi videtur ex decreto necessario eruendum, si scilicet decreto ipsi ob-

[1] *Loc. cit., pag. 29.*

viam nec strictam interpretationem dare velimus. Scilicet, mea sententia, sacerdos delegatus duabus eget licentiis; altera quidem a parocho alterutrius sponsi ut licite assistat, altera a parocho illius territorii, in quo matrimonium contrahitur, ut assistat valide. Nec certe contrarium deducitur ex articulo sexto, ubi, nulla facta distinctione inter parochum alterutrius sponsi et alium parochum, de parocho in genere dicitur: « Parochus et loci ordinarius licentiam concedere possunt alii sacerdoti determinato ac certo, ut matrimoniis intra limites sui territorii assistat ». Parochus autem et loci ordinarius in decreto numquam venit pro parocho aut ordinario sponsorum. Conclusio autem logice procedit ex iis, quae supra diximus, loquentes de alio parocho aut loci ordinario iuxta ea, quae tradit eṁus Gennari.

108. *Delegatus autem, ut valide et licite assistat servare tenetur limites mandati et regulas pro parocho et loci ordinario statutas.* Haec est regula seu lex, quam in decreto praecedenti dispositioni subiungitur in articulo sexto, innuendo dispositiones articuli quarti et quinti. Patet autem dispositiones istas praecedentium articulorum servandas esse in iis, quae ex ipsa natura rei non excluduntur; quare paragraphum primam articuli quarti, qua edicitur, parochum a die tantummodo adeptae possessionis beneficii vel initi officii assistentiam praestare posse, nihil faciendum habere cum delegato nimis evidens est. Hinc delegatus debet necessario habere licentiam illius parochi, in cuius territorio matrimonio assistit, debetque ita assistere, ut sit invitatus ac rogatus neque metu gravi constrictus, qui requirat et excipiat contrahentium consensum. Et haec ad validitatem.

Ad liceitatem autem nihil a delegato praestandum est, quod eidem a parocho delegante expresse non iniungatur. Ea enim, quae in articulo quinto parocho ad licitam assistentiam praescribuntur, pertinent tantummodo ad probationem status liberi contrahentium, et ad eorum saltem menstruam commorationem in parochia.

Haec autem per se non delegato, sed parocho deleganti constare debent, antequam licentiam assistendi faciat. Parochus enim vel loci ordinarius ipsi sunt, qui de his moralem certitudinem sibi efformare debent. Attamen, ut bene hic advertit Gennari [1] exinde apparet, quod actus etiam praevios faciendos, seu matrimonialis processiculi instructionem potest parochus delegans delegato committere (si confectio processus non sit reservata curiae), qui in casu deberet servare dispositiones articuli quinti, et antequam ad assistentiam deveniret probationes habere ibi praescriptas.

ARTICULUS IV.

De extraordinariis casibus, de quibus agit decretum.

§ I. De matrimonio vagorum.

109. Praescriptiones decreti quod vagos confirmant leges tridentinas. — 110. Quinam sint vagi ex decreto. — 111. Monitio ordinariis facta. — 112. Quid in casu necessitatis.

109. Ante omnia decretum quaedam statuit de matrimonio vagorum, quae tamen nullam introducunt immutationem, sed confirmant decretum Concilii Tridentini [2] praescribentis parochos ad horum matrimonia procedere non debere, nisi, re ad ordinarium delata, ab eo licentiam assistendi impetraverint.

110. Quaestio hic tantum fieri potest, *quinam nomine vagorum in decreto nostro intelligantur*. Scilicet generatim in iure vagi ii sunt, quibus nullibi fixum est domicilium. An hoc in sensu sumitur in decreto nomen vagorum? Gennari [3] huic quaestioni indirecte quidem, sed negative

[1] *loc. cit., pag. 30.*
[2] *Sess. XXIV, c. 7 de ref. matr.*
[3] *loc. cit. pag. 27.*

respondet: contradistinguit enim vagos ab iis, qui in aliqua parochia per mensem fuerint commorati. Hi iuxta ipsum in sensu decreti vagi non sunt, et proinde parochus ad assistendum horum matrimoniis nulla indiget ordinarii licentia. Quae quidem sententia probabile quoddam habet fundamentum ex eo, quod in eiusdem articuli paragrapho secunda dicitur parochus licite assistere, dummodo ipsi constiterit de domicilio vel saltem de menstrua commoratione alterutrius contrahentis in loco matrimonii. Verum re melius intimiusque perspecta videtur mihi contrarium dicendum. Existimo enim in secunda paragrapho agi de iis, qui, etsi in loco matrimonii non habeant nisi commorationem unius mensis, alibi tamen habent domicilium vel saltem quasi domicilium. Pro his facile est parocho, coram quo matrimonium contrahere volunt, notitias opportunas habere ad statuendum eorum statum liberum, nec praesumi potest quod ad hanc probationem fraudes intercedant. Ad hos quidem coniugendos potest parochus ex novo decreto procedere, nulla habita aut requisita licentia ordinarii. At vero si de iis ageretur, de quibus constaret, eos, quamvis in loco matrimonii per mensem sint commorati, nullibi tamen habere domicilium vel quasi domicilium: aut melius si de iis ageretur, de quibus non constaret eos alibi domicilium vel quasi domicilium habere, videretur mihi dicendum non posse parochum, nulla expetita et obtenta licentia ordinarii, eos matrimonio copulare, sed eum, ad hoc ut ad horum matrimonium procedat, egere licentia sui ordinarii. Hoc autem sentio, tum quia clare non constat vocem illam *vagos* in paragrapho quarta sumendam esse in sensu diverso ab eo, quem generatim in iure habet; principium autem est in iure admissum ex Paulo, minime esse mutanda, quae interpretationem certam semper habuerunt [1] — tum quia caput septimum sessionis XXIV de ref. matr. in Tridentino gravissimis verbis effertur, quum ibidem

[1] *l. 23 de leg. D. I, 31.*

dicatur: « Multi sunt, qui vagantur et incertas habent sedes, et, ut improbi sunt ingenii, prima uxore relicta aliam et plerumque plures, illa vivente, diversis in locis ducunt. Cui morbo cupiens sancta synodus occurrere, omnes...; parochis autem praecipit ne illorum matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint: et re ad ordinarium delata ab eo licentiam id faciendi obtinuerint »; nec videtur adeo grave monitum et praeceptum tridentinum a S. Congregatione indirecta quadam ratione abolitum fuisse. Quare videretur mihi a parocho expetenda ordinarii licentia ad assistendum matrimonio Titii et Titiae, qui a mense tantum in parochia commorantur, statim inde post matrimonium discessuri, etsi ex processiculo, quem parochus confecit, nihil contra eorum liberum statum constaret [1].

111. Alterum, quod attentione dignum est in hac quarta paragrapho articuli quinti, est *indirecta monitio, qua suadetur ordinariis* ut ad dandam post accuratam inquisitionem parochis hanc licentiam assistendi matrimoniis vagorum, *sacerdotem alium* sive unum sive etiam plures *in dioecesi deputent*, praesertim in maioribus dioecesibus, quemadmodum adnotat clarissimus Gennari [2].

112. Tertium tandem ex ea paragrapho desumitur, quod immutationem quamdam infert ab antiqua disci-

[1] Gaudeo, me, postquam haec scripsi, invenisse alium, qui mecum ita sentiret, cl. D. Boudinhon prof. iuris in instituto catholico Parisiensi, qui (*Le mariage et les fiançailles n. 74*) quoad rem nostram ita scribit: "Je n'ose me prononcer. Si cependant il m'était permis de donner mon opinion, je dirais que le décret n'a entendu rien changer à la notion juridique du domicile, ni par conséquent à celle des *vagi:* que par suite ce mot n'a pas changé de sens et s'applique dans les mêmes cas qu'auparavant; et qu'à moins de déclaration officielle de la S. C. on traitera en *vagi* ceux, qui ne font çà et là que des séjours de peu de durée, sans résidence stable; quand il s'agira de leur mariage, on devra demander, comme auparavant, l'autorisation de l'ordinaire, sauf le cas de nécessité „.

[2] In quo etiam video aliud argumentum ad probandam sententiam, quam supra exposui. Nam secus haec exigentia videretur fere inutilis. Ita

plina. Est autem, licentiam quidem ordinarii parocho necessariam esse ad hoc ut licite his matrimoniis assistat; *in casu tamen necessitatis*, quando matrimonium urget nec tempus suppetit recurrendi ad ordinarium, *hanc licentiam necessariam non esse*. Patet autem, tunc parochum debere accuratissimam facere per seipsum inquisitionem, ex qua nisi moraliter certo constet indubiis documentis et argumentis de libero statu utriusque contrahentis ab assistendo huiusmodi matrimonio omnino prohiberi.

§ II. — De matrimonio in periculo mortis.

113. De matrimonio in periculo mortis. — 114. Non agitur de mortis articulo. — 115. Quandonam dicendum parochum haberi non posse. — 116. An tunc semper coram non parocho iniri possunt nuptiae. — 117. De necessitate testium in casu.

113. Postquam de matrimoniis vagorum dictum est, agit decretum de alio casu extraordinario, de matrimonio scilicet ab iis contrahendo, quorum unus in imminenti mortis periculo versetur. Quoad hoc nova omnino disciplina inducitur. Scilicet hucusque parochus tantum erat testis auctorizabilis in celebratione matrimoniorum fidelium: ex nova disciplina *in hoc casu extraordinario potest esse testis auctorizabilis quilibet sacerdos*. In articulo enim septimo decreti statuitur, quod « imminenti mortis periculo, ubi parochi vel loci ordinarius vel sacerdos ab alterutro delegatus haberi nequeat, ad consu-

optime animadvertit Boudinhon (*l. cit.*): " Mais puisque, pour qu'un mariage soit licitement célébré dans une paroisse, il suffit d'y avoir séjourné un mois, quels seront les vagabonds qui ne pourront ou ne devront pas satisfaire à cette facile condition, surtout si l'on songe que, pour préparer le mariage, se procurer les pièces nécessaires, faire les publications, un mois n'est souvent pas de trop? Quels seront donc les *vagi* pour lesquels le curé devrait recourir spécialement à l'ordinaire? Il semble qu'il n'en restera que fort peu „.

lendum conscientiae, et (si casus ferat) legitimationi prolis, matrimonium contrahi valide ac licite potest coram quolibet sacerdote et duobus testibus ». Ante omnia igitur decretum accurate determinat circumstantias, in quibus non unus parochus sed et alius sacerdos sine ulla parochi delegatione possit valide et licite alicui matrimonio assistere.

114. Primum autem, quod ad hoc requiritur, est, *ut agatur de periculo mortis*. Ubi probe notandum, non de articulo, sed de periculo mortis agi. Quare non est necesse, ut infirmus videatur morti proximus aut intra paucos dies moriendus; sufficit de morbo agi, qui in discrimen eius vitam adducat. Exinde quando sacramentum extremae unctionis impertiri potest aegroto, dispositio praesentis articuli viget.

115. Alterum, quod requiritur, est *quod nemo ex iis haberi possit, qui ordinariis in casibus ad assistentiam matrimonio praestandam essent adhibendi*, scilicet ordinarius, parochus aut sacerdos ab iis delegatus. Circa quod una potest esse difficultas, quandonam scilicet verificari dicendum sit, parochum etc. haberi non posse. Gennari [1] quaestioni propositae respondet, hoc tunc locum habere, quum tempus deficit, nec possibile est ad parochum ire ab eoque in infirmi domum redire. Quod verissimum est, in quantum significat eo in casu defectum parochi etc. verificari; sed non signat limites, intra quos continetur dispositio legis. Si quis enim inveniretur ex gr. in oppido alicuius dioecesis, quod ab urbe episcopali longe distaret, simulque sciret ex gr. parochum gravi ex morbo decumbere, defectus requisitus locum haberet, et tamen materialiter possibilis esset iter et reditus. Scilicet quum sacerdos, qui adest, ex quocumque tandem capite iudicare probabiliter possit, parochum etc. venire ad infirmi domum non posse, locus est defectui in decreto

[1] *L. c. pag. 30.*

indicato, et sacerdos est legitimus testis matrimonii. Et hic duo iure adnotat Gennari, primo scilicet defectum temporis, si quando de hoc agitur, moraliter, non mathematice, dimetiendum esse, ac proinde non requiri certitudinem, sed probabilitatem sufficere, imo dubium quoque prudens; deinde necesse haud esse expeditioribus mediis uti, telegrapho v. gr. aut telephono, quum his mediis uti dissonum sit a stylo iuris nostri; quod relate ad telegraphum expresse declaratum fuit litteris Secretariae Status 10 dec. 1891.

116. *Sed an semper, imminente in alterutro mortis periculo, potest matrimonium coram non parocho celebrari?* Et negative respondendum est; nam haec facultas in decreto fit *ad consulendum conscientiae* et *(si casus ferat) legitimationi prolis.* Ergo in his tantum duobus casibus matrimonium in periculo mortis coram non parocho celebrari potest. Duo autem sunt casus et non unus; et quando scilicet matrimonium necessarium est ad consulendum conscientiae, et quando requiritur pro legitimanda prole. Quare haec duo non cumulative, sed disiunctive sumenda sunt; quod constat ex ipso spiritu, quem vocant, iuris nostri, quod semper studet conscientiis fidelium consulere; nec obstat quod ea duo in decreto particula *et* coniungantur. Nam quamvis particula *et* generatim coniungat (quemadmodum accidit paullo post in hoc eodem articulo: coram quolibet sacerdote *et* duobus testibus) et ad disiungendum utamur particula *vel*, attamen etiam particula *et* aliquando in iure disiungit, quemadmodum constat ex lege 53 *de verborum significatione D. (L. 16):* " Saepe ita comparatum est, ut coniuncta pro disiunctis accipiantur, et disiuncta pro coniunctis, interdum soluta pro separatis. Nam quum dicitur apud veteres *agnatorum gentiliumque* pro separatione accipitur, etc. „ Quod deduci etiam posse videtur ex appositione illius parenthesis *si casus ferat.* Patet autem quandonam ad consulendum conscientiae matrimonium requiratur; scilicet verificatur casus tunc praecipue, quum

agitur de concubinariis, de iis qui illicitos fovent amores, et de aliis huiusmodi. Ad legitimandam vero prolem tunc requiritur matrimonium, quum ex una parte habetur iam proles ex illegitima coniunctione orta, et ex alia parte legitimatio ex subsequenti matrimonio possibilis est ad iuris praescriptiones. Proinde tunc tantum, quum de spuriis non agitur; hinc si ageretur de filiis adulterinis, sacrilegis, incestuosis, nefariis, exsulante alia causa supra indicata, matrimonium coram non parocho celebrari non posset. Imo tunc in multis casibus matrimonium impediretur ex alio etiam capite, scilicet ex impedimento iuris sive naturalis sive ecclesiastici.

117. Nam patet evidenter, ex decreto nullam concedi potestatem sacerdoti, qui in casibus supradictis testis est auctorizabilis pro matrimonio, dispensandi ab impedimentis, etsi haec talia sint, quae admittant dispensationem. Hinc est, quod nisi, praeter sacerdotem, duo habeantur testes, ne in periculo quidem mortis potest coram sacerdote non parocho matrimonium celebrari. Dixi *coram sacerdote non parocho*. Manet enim semper dispositio Leonis XIII [1], qua episcopi dispensare possunt sive per se sive per ecclesiasticam personam sibi benevisam aegrotos in gravissimo mortis periculo constitutos, quique iuxta leges civiles sunt coniuncti aut alias in concubinatu vivunt, quando non suppetit tempus recurrendi ad S. Sedem, super impedimentis, quantumvis publicis, matrimonium iure ecclesiastico dirimentibus, excepto sacro presbyteratus ordine et affinitate lineae rectae ex copula licita proveniente, inter quos comprehenditur etiam impedimentum clandestinitatis [2]; et hanc facultatem possunt parochis habitualiter subdelegare. Quare imminente mortis periculo, parochus, cui haec facultas subdelegata esset posset sponsos coniungere etiam sine testibus, in eorum nempe defectu.

[1] *Litt. S. U. I. 20 febr. 1888, litt. eiusd. S. C. 1 mart. 1889.*
[2] *S. U. I. 13 dec. 1899.*

§ III. — De matrimonio in defectu ordinarii vel parochi.

118. -- De matrimonio in defectu ordinarii vel parochi a mense. — 119. An tunc celebrari debeat coram sacerdote non delegato in loco praesente. — 120. An eadem valeant quando defectus parochi certo erit per mensem duraturus. — 122. Quid in locis, ubi parochus ex lege civili non potest assistere, non praemissa ceremonia civili.

118. Tertius casus extraordinarius, de quo agit decretum, ille est, cui opportunae dispositiones in articulo octavo applicantur. Contingere enim potest, ut non solum, imminente mortis periculo, sed etiam extra quodcumque periculum mortis, in aliqua regione haberi nequeat ordinarius loci aut parochus aut etiam sacerdos ab eis delegatus. Hoc in missionibus non raro accidit. Pro hoc casu statuitur regula maxime obvia et clara. *Matrimonium tunc, dummodo haec rerum conditio a mense iam perseveret, valide et licite celebrari potest per manifestationem mutui consensus a sponsis factam coram duobus testibus.* Et ex hoc confirmatur antiqua disciplina, de qua diximus supra (n. 22); quae ex hoc articulo nullam patitur immutationem. Nam etiam quaestio, utrum ad hoc requiratur impossibilitas habendi parochum aut delegatum *communis* seu *generalis in loco*, an potius etiam *particularis* sufficiat, nullo modo attingitur a decreto.

119. Quaeri forte hic potest: *si in loco non invenitur parochus etc., sed tamen invenitur sacerdos non delegatus, an matrimonium coram eo celebrandum est?* Et ex decreto facilis est responsio; *ad validitatem nullo modo necessarium est coram tali sacerdote contrahere;* sed certe hoc maxime decet et videtur omnino esse iuxta spiritum et mentem decreti, quod etiam in casu urgentissimo, quum scilicet est periculum mortis, non permittit ut matrimonium sine praesentia sacerdotis contrahatur. Imo ex comparatione harum duarum praescriptionum, articuli scilicet septimi et octavi, aliqua videri posset incongruentia

in decreto dari. Sed, ni fallor, ratio discriminis inter unam et aliam dispositionem in hoc est, quod articulus septimus contemplatur extraordinarium casum matrimonii necessarii in periculo mortis, qui tamen accidat in locis ordinariis, ubi defectus quidem sit parochi etc., sed non sit talis penuria sacerdotum, qualis ordinarie verificatur in locis, ad quae respicit articulus octavus. Quare, quemadmodum valde rationabiliter decretum in primo casu requisivit praesentiam sacerdotis, ita in altero casu eam noluit positive requirere. Scilicet « ad ea potius debet aptari ius, quae et frequenter et facile, quam quae perraro eveniunt »; et « ex his [1], quae forte uno aliquo casu accidere possunt, iura non constituuntur ». Sacerdotem autem, deficiente parocho, haberi in ordinariis locis potest generatim; in iis, in quibus per integrum mensem defectus est parochi vel alterius delegati, ordinarie non potest.

120. Quaeres forte etiam: *Quid in casu, quo, nondum a mense defectus parochi etc. perduret, sed moraliter certum est per mensem perduraturum?* Parochus ex. gr. ab hebdomada profectus est, dixitque se ante duos menses non rediturum, quacunque ex causa hoc procedat. Vel si velimus fingere hypotesim, quae facilius locum habere poterit, missionarius, qui matrimoniis assistere poterat, transivit per aliquem pagum, indeque ab hebdomada tantum profectus est, nec nisi post annum redibit; nullus alius est in utroque casu sacerdos eo loci. An duo aliquibus, quindecim ex. gr., diebus post parochi aut missionarii discessum, contrahere valide possunt coram testibus tantum? Et puto eos valide hoc modo contrahere non posse, nisi mense iam expleto. Verba enim legis clara sunt et requirunt mensem elapsum: «Eaque rerum conditio a mense iam perseveret», ait decretum. Nec videtur Pontifex imprudens haec constituisse. Scilicet antiquo iure ex decreto S. U. I. *1 iul. 1863 ad. ep. Vallispranensem* haec fuerant

[1] *l. 5. de legib. etc. C. 1. 3.*

statuta: « Quando difficilis nec tutus est accessus, et ignoratur quandonam parochus haberi possit et *praevidetur* spatium saltem unius mensis a loco abfuturus, nullusque alius sit, qui vices parochi suppleat, matrimonium valere (Patres declararunt) absque praesentia parochi, servata tamen in eo, quo potest, forma Concilii, nempe adhibitis saltem duobus testibus ». In praesenti disciplina, in qua casus huiusmodi multo frequentiores erunt, quum ea ad universum orbem sese extendat, voluit Pontifex ut regula excusans desumeretur non ex praevisione, sed ex facto quodam certo; quod, ut quisque videt, securius est et aptius pro praescriptione iuridica [1].

121. *Quid autem in casu omnino contrario, quando scilicet parochus iam a mense abest, sed notum est eum brevi rediturum?* An duo, qui tunc coram testibus tantum contraherent, valide agerent? Et puto dicendum *eos certissime valide contrahere.* Verba enim decreti apertissima sunt, et nullum relinquunt rationabili dubitationi locum. Equidem puto eos, qui ita agerent, male acturos, praecise quia evidenter ex mente ecclesiae, quae maxime cordi habet ut matrimonium coram parocho contrahatur, debuissent aliquot dies exspectare, quod, ut suppono, sine incommodo facere potuissent; attamen valide contraxerunt. Nec, meo quidem iudicio, ratio deest, cur ita conceptum fuerit decretum. Lex enim debet in primis clara esse et manifesta nec dubitationibus obnoxia; multo magis ea esse non debet fons perplexitatum. Quare necesse est ut ea aliquid praescribat certum et determinatum sine ambagibus et implexis obscuritatibus; et melius est ut in raro quodam casu aliquid fieri possit ex lege, quod minus bene fit, quam ut

[1] Haec est etiam mens Boudinhon, qui (*l. c. n. 86*) scribit: " Cette seconde règle est plus sûre, parce qu'il est plus facile de constater un fait acquis que d'apprécier les probabilités d'un fait à venir. Qui sait d'avance que le missionaire ne viendra pas, d'ici un mois, visiter la chrétienté? Ne serait-ce pas là une occasion d'inquiétudes? La mesure adoptée par le décret y coupe court „.

lex ad hoc impediendum incerta aut obcura implexaque evadat. Exinde, puto, factum est, ut in decreto spatium unius mensis elapsum requiratur, nulla adiecta mentione de praevisione reditus parochi aut etiam de certa cognitione ipsius reditus; quae omnia semper incerta manerent; incertitudo autem in lege, praesertim si ea sit irritans, quemadmodum haec est, maxime est vitanda.

122. Quaeri etiam potest: *Quid si in aliquo loco lege civili statutum sit ceremoniam civilis matrimonii praecedere debere religiosum matrimonium, sacerdotem autem, qui matrimonio religioso assisteret, non praemissa ceremonia civili poenis mulctandum esse?* Et facilis est responsio, si de casu ordinario agatur, praemittendam scilicet civilem ceremoniam. Verum dari potest casus, in quo urgeat necessitas contrahendi matrimonium nec possit praemitti ceremonia civilis. Quid tunc esset faciendum? Et puto posse tunc contrahi matrimonium religiosum sine assistentia sacerdotis [1] coram duobus tantum testibus. Scilicet in hypothesi agitur praecise de casu excepto, quem contemplatur decretum in articulo octavo. Ibidem enim dicitur ea dispositio valere, si conditiones alicuius regionis eae sint (et hoc a mense verificetur), ut parochus *haberi non possit*; ubi ea verba consulto posita videntur, nec dictum est: ut parochus *absens sit*. Porro videtur mihi impossibilitas ista non referenda tantummodo ad casum, in quo parochus physice impossibilitetur, ut ita dicam, assistere, sed etiam ad casum, in quo aliunde, ex. gr. ex imperio legis poenas minitantis, prohibetur ab assistendo. Hoc autem, quod erui mihi videtur ex ipsa recta analysi textus decreti, confirmari videtur ex spiritu et indole legislationis nostrae, circa quam in memoriam revocanda sunt ea, quae, adhuc vigente iure tridentino, statuta sunt pro insula Curaçāo, ubi aliquid huiusmodi lege statutum fuerat [2].

[1] Loquor hic de sacerdote simpliciter, quia casus iste praecipue in mortis periculo verificatur.

[2] Cr. ea, quae diximus supra n. 22.

Alicubi lex civilis praescribens praecedentiam ceremoniae civilis celebrationi matrimonii punit quidem sacerdotem active cooperantem nuptiis ante ceremoniam civilem celebratis, non autem sacerdotem passive assistentem [1]. An in hoc casu passiva ista sacerdotis assistentia necessaria est? Et ad validitatem eam necessariam non puto: ex decreto enim nemo valide assistit, qui mere passive assistat; quare possibilitas talis passivae assistentiae non est computanda. Quare videntur mihi sponsi in casu valide contrahere posse tantum duobus praesentibus testibus. Patet autem ex dictis superius eos acturos contra mentem et spiritum ecclesiae, si, passiva ista assistentia parochi aut sacerdotis [2] praetermissa, coram testibus tantum contraherent.

ARTICULUS V.

De iis, quae matrimonii celebrationem sequuntur.

123. De libro matrimoniorum. — 124. De adnotatione facienda in libro quoque baptizatorum. — 125. Quibusnam haec obligatio incumbat in casibus extraordinariis. — 126. Quibus parochis haec notitia transmittenda. — 127. Quis sit parochus matrimonii.

123. Sequuntur in decreto ea, quae peracto matrimonio fieri debent. Et in primis renovatur praescriptio tridentina [3]: « habeat parochus librum, in quo coniugum et testium nomina diemque et locum contracti matrimonii describat, quem diligenter apud se custodiat ». Hoc praeceptum, quod graviter parochos urget, ut patet ex ipso praescriptionis momento, in novo decreto iterum innovatur, simulque praecipitur ut alia omnia in eo adno-

[1] Hunc esse casum legis in Hollandia vigentis relatum ad me est.

[2] Scilicet parochi aut sacerdotis, qui, seclusa ea impossibilitate ex civili lege exsurgente, assistere deberet.

[3] Conc. Trid. *Sess. XXIV c. I. de ref. matr.*

tentur, quae adnotanda sunt ex libris ritualibus vel ex praescripto ordinarii.

124. In secunda autem paragrapho novi articuli nova praescriptio fit. *Parochus matrimonium celebratum adnotare debet* non solum in libro matrimonium, quemadmodum praescribebatur in tridentino decreto, sed *etiam in libro baptizatorum*. Quae dispositio sapientissima est, ut scilicet ex libro baptizatorum constare statim possit status, ut ita dicam, personae; et sic difficilius sit pessimis hominibus, qui forte aliquam fraudem uti vellent, ut ex. gr. vivente prima aliam ducere, suam scelestam prosequi voluntatem. Hanc eamdem praescriptionem, ut in regestis nativitatum adnotaretur etiam matrimonium peractum, adoptarunt etiam civiles legislationes. Et haec praescriptio, ut finem suum melius sortiatur, aliis praescriptionibus corroboratur; scilicet si coniux alibi baptizatus fuerit, parochus matrimonii debet notitiam matrimonii peracti sive per se sive per curiam episcopalem (suam vel parochi baptismi; decretum nihil determinat) transmittere parocho baptismi, ut is in libro baptizatorum adnotet matrimonium. Animadvertit hic Gennari [1] parochum aut curiam notitiam peracti matrimonii transmittentem, quum hic de re gravissima agatur, exquirere debere ab eo, cui notitia transmissa est, attestationem acceptarum litterarum (*la ricevuta del recapito della lettera*); quod certo prudentissime fiet, quamvis in decreto nulla de hoc obligatio imponatur.

125. In casu autem matrimonii celebrati coram sacerdote non parocho, *imminente mortis periculo, aut sine ullo sacerdote coram testibus in defectu parochi etc.*, qui iam per mensem perduret, *obbligatio trasmittendi hanc notitiam* ad hoc, ut initum coniugium in praescriptis libris adnotatur, *incumbit in solidum tum sacerdoti in primo casu aut testibus in altero, tum contrahentibus*. Scilicet

[1] *Loc. cit. pag 34.*

omnes ad hoc tenentur quousque legi non fuerit satisfactum; simul ac autem aliis constiterit unum ex ipsis notitiam vere et efficaciter trasmisisse, in aliis omnibus quaecumque obligatio cessat. Et in hoc adnotanda velim prudentissima verba, quibus decretum utitur. Nam quum agitur de matrimonio coram parocho contracto, qui tamen non sit parochus baptismi utriusque vel alterutrius contrahentis, parocho matrimonii in decreto nulla alia obligatio imponitur, quam notitiam matrimonii peracti parocho vel parochis baptismi transmittendi. Quum autem agitur de matrimonio contracto coram sacerdote non parocho aut testibus tantum, imponitur obbligatio curandi « ut initum coniugium in praescriptis libris quamprimum adnotetur ». Scilicet in primo casu una saltem attestatio authentica semper habebitur, ea nempe, quae facienda erit in libro matrimoniorum a parocho matrimonii; in aliis casibus, si sacerdos et testes efficaciter non curarent transmissionem, nulla maneret peracti matrimonii legitima attestatio. Quare multo maiori obligatione tenentur sacerdos et testes in casibus supra notatis hanc notitiam transmittendi, quam parochus matrimonii, qui in sua parochia matrimonium celebravit.

126. *Sed quibusnam parochis haec notitia transmittenda est?* Scilicet utrique parocho et matrimonii et baptismi; imo si uterque sponsus baptizatus est in parochia diversa a parochia matrimonii, utrique parocho baptismi notitia est transmittenda, ut patet ex ipso fine in lege indicato.

127. *Difficultas quaedam potius esse potest in determinando parocho matrimonii.* Titius ex. gr. et Titia concubinarii Roma, ubi habent domicilium, Tusculum se conferunt per hebdomadam ibi rusticaturi. Procul ab aliis domibus ruri incolunt apud amicos; post paucos dies Titius repentino et gravi morbo corripitur; matrimonium celebrare volunt ad suae conscientiae consulendum. Illud

contrahunt coram Caio sacerdote, casu quodam ibi praesente. Cuinam parocho a Caio notitia matrimonii transmittenda est, parocho tusculano an romano? Decretum non clare loquitur: dicit enim curandum esse, ut initum coniugium in praescriptis libris quam primum adnotetur. Quinam autem sunt libri praescripti? Et certe praescriptus liber est liber baptismi, sed quoad librum matrimoniorum dubium est. Mihi quidem videtur hic intelligendus liber matrimoniorum illius parochiae, apud cuius parochum matrimonium regulariter fuisset celebrandum; quare potius parocho romano quam tusculano puto transmittendam fuisse in casu proposito notitiam matrimonii. Ad hoc autem existimandum moveor, quia hac ratione finis legis melius salvatur (et quando verba legis dubia sunt, ad finem legis non immerito provocamus, si legem ipsam interpretari velimus); finis autem legis est ita in tuto ponere notitiam celebrati matrimonii, ut improbis et scelestis hominibus difficilius sit, et quantum fieri potest impossibile, alias nuptias, prima uxore vivente, attentare. Hoc autem certe facilius obtinebitur, si in loco, in quo coniuges domicilium aliquando habuerunt, de peracto matrimonio legitima attestatio est. Quare generali regula videtur mihi dicendum in hac tertia paragrapho articuli noni parochum matrimonii illum esse, qui matrimonio assistere iuxta ordinarias regulas debuisset, proindeque praescriptos libros, in quibus adnotandum est initum coniugium, praeter librum baptizatorum, esse librum matrimoniorum illius parochi, qui in casu ordinario debuisset assistere, et proinde si coniuges non habuissent domicilium in eadem parochia, notitiam ad parochum sponsae transmittendam esse.

ARTICULUS VI.

Poenae contra transgredientes statuta decreti.

128. Poenae contra violantes decretum. — 129. Parochus illicite assistens remittere debet iura stolae parocho contrahentium. — 130. Quinam is est. — 131. In casu diversi domicilii contrahentium.

128. Sequuntur postea in decreto poenae contra parochos decreti praescriptiones transgredientes, et in hac parte decretum aliquantulun mitigando immutat antiquam disciplinam. Nam, quum antiquo iure puniebantur non solum parochi contravenientes dispositionibus tridentinis, sed etiam testes, qui tridentinam formam non servassent, *nunc ex decreto parochi tantum et non alii contravenientes puniuntur*. Poena autem *pro parochis* contravenientibus ea est, quam tridentinum sanxit, *ut scilicet puniantur ab ordinariis pro modo et gravitate culpae*. Exinde tamen non debet inferri contrahentes ipsos aut testes puniri ab ordinariis non posse, si decreto contravenerint. Scilicet hi puniri possunt, parochi ex praescripto iuris debent puniri; dicitur enim in decreto : « parochi... puniantur ». quemadmodum in tridentino dicebatur : « parochum vel alium sacerdotem... et testes... nec non ipsos contrahentes graviter arbitrio ordinarii puniri (s. synodus) praecipit ». Quod autem ex eo, quod parochi hic nominantur, non autem contrahentes et testes, qui nominabantur in tridentina sanctione, parochi tantum dicendi sunt ex iure puniendi, patet ex noto iuris adagio : inclusio unius est exclusio alterius, quae regula, etsi in aliis nec perpetua nec satis firma sit, ut ait D'Annibale [1], efficax est, quoties agitur de poena aut damno vitando [2].

[1] *I 185 (25).*

[2] Suarez *de censuris 45. 5. 6.*

129. His addendum est, *quod si parochi adstiterint illicite matrimonio illorum*, de quibus ipsis prius non constiterit eos in parochia sua domicilium habere vel saltem menstruam commorationem, *parochi ipsi emolumenta stolae, quae dicuntur, sua non faciunt*, sed ea debent proprio contrahentium parocho remittere. Circa quod in primis adnotandum est, hic non agi de poena, sed hanc esse declarationem quamdam iuris, quod, etsi decretum nihil quoad hoc statuisset, per se ipsum vim haberet. Emolumenta enim stolae debentur a fidelibus *proprio* parocho; parochus autem contraveniens, de quo hic agimus, non est proprius parochus fidelium, qui eas praestationes faciunt; debet ergo eas proprio contrahentium parocho remittere.

130. Quaerit autem hic Gennari [1], *quinam sit parochus, ad quem remittenda sunt huiusmodi emolumenta*, quando agitur de fidelibus, qui habent domicilium in aliqua parochia, in alia autem per mensem commorati sunt, et proinde in utraque parochia potuissent matrimonium contrahere. Et respondet videri sibi emolumenta stolae parocho domicilii reddenda esse. In quo omnino convenio cum doctissimo viro, multo magis quod videatur mihi hoc *innui* ipsis verbis decreti, quod *de proprio contrahentium parocho* loquitur. Videtur enim mihi proprius contrahentium parochus non esse, nisi parochus domicilii, aut quasi domicilii, si domicilium non habent; parochus autem menstruae commorationis nullo modo esse parochus proprius. Si enim is potest licite talium matrimonio assistere, non ideo assistit quia fit parochus proprius, sed quia, etsi non sit parochus proprius, est tamen testis auctorizabilis in nova disciplina, quae ad hoc munus non amplius requirit in parocho eam qualitatem, quam tridentinum requirebat, quod scilicet esset parochus proprius contrahentium. Hinc est quod non assentior Gennari, qui loco citato exceptionem statuit generali regulae

[1] *l. c. pag. 36.*

traditae, qua nempe iuxta ipsum potius parocho menstruae commorationis, quam parocho domicilii remittenda essent emolumenta stolae, si quando sponsi residerent in loco menstruae commorationis, non autem in loco domicilii. Et in hoc eo potiori ratione dissentior, quod casus hic exceptionalis est e contra casus ordinarius in hac suppositione; nam si sponsi semel reliquerint locum commorationis et proinde dici possint ibi non amplius residere, iam in eo loco nullam habent amplius commorationem et ibidem non possent amplius contrahere, nisi commoratione iterum reassumpta et ad mensem usque producta.

131. Nota autem, quod in casu diversi domicilii in sponso et in sponsa, emolumenta remittenda essent parocho sponsae, quaemadmodum iure adnotat Gennari [1]; scilicet ex dispositione paragraphi quintae quinti articuli, de quo supra diximus.

ARTICULUS VII.

De extensione decreti.

132. De extensione decreti. — 133. De subiecto passivo istius legis. — 134. Catholici orientales generatim non tenentur forma substantiali. — 135. De matrimonio catholicis orientalis cum catholica latina. — 136. Quando pars orientalis ad nullam formam ligatur; quando ex exceptione ligatur ad formam tridentinam. — 137. Quid si pars latina catholica contrahat cum orientali acatholica. — 138. Ratio cur lex liget catholicos et eos, qui catholici semel fuerunt. — 139. Decretum abolevit principium de individuitate contractus. — 140. Acatholici, si inter se contrahant, nullibi ligantur forma substantiali. — 141. Exceptio ex decreto. — 142. An comprehendat regiones, quae regebantur declaratione Benedictina. — 143. Aut quibus concessa fuerat exemptio a lege tridentina. — 144. Exceptio pertinet unice ad Imperium Germanicum. — 145. De matrimoniis, quae ibidem clandestine contrahuntur a catholicis cum haereticis aut schismati-

[1] *l. c. pag. 36.*

cis. — 146. An in Germania vigeat adhuc principium de individuitate contractus. — 147. Corollarium. — 148. De iis, qui catholici fuerunt, et contrahunt cum parte haeretica. — 149. De catholico, qui non est ex Imperio Germanico, et contrahit cum haeretica in ipsa Germania. — 150. De haeretico, qui est ex Imperio Germanico et contrahit cum catholica extra Imperium.

132. Post haec omnia sermo est in decreto de ipsius decreti extensione. Et quoad hoc accurate distinguendum est inter eos, qui nova hac lege ligantur, et inter eos, qui lege non afficiuntur.

133. *Ligantur lege omnes, qui in catholica ecclesia baptizati sunt, aut in sectis separatis baptizati ad catholicam semel redierunt, etiamsi hi et illi postea ab eadem ecclesia defecerint.*

Haec quidem expressis et claris verbis in decreto constituuntur. Attamen obvenire legenti difficultas potest: an in tanta verborum latitudine et generalitate *comprehendi etiam debeant catholici rituum orientalium*, an contra lex solos catholicos ecclesiae latinae respiciat. Et de facto inter varia dubia, quae S. Congregationi Concilii proposita fuerunt, hoc quoque dubium invenitur. Porro si ea inspiciamus, quae iure ecclesiastico circa hoc statuta sunt, haud difficilis dubio responsio est, qua statuamus catholicos orientales decreto " Ne temere „ nullo modo attingi aut ligari. Rem clare et docte proponit consultor in saepius laudato suo voto; haec igitur habet: " Primo loco occurrit dubium a R. P. D. Delegato apostolico Aegypti et Arabiae propositum, videlicet num disciplina decreti *Ne temere* adstringantur Graeci ceterique catholici aliorum rituum orientalium. Delegatus refert se de hac re sermonem habuisse cum sacerdote graeco melchita in dignitate constituto, qui negativam tuetur sententiam, eo quod de orientalibus in decreto nulla fiat mentio, et huic sententiae ipse delegatus adhaeret.... Revera ita rem se habere in apertis est, nec longa eget demonstratione. Satis sit recolere quae scribit Bene-

dictus XIV in suo opere de ritibus edito anno 1904 a Francisco Heiner, in capite novissimo, de regimine Italo-graecorum, in quo postquam locutus fuerit de quaestione: - num Graeci ad venerandos eos, qui canonizati a Romano Pontifice sunt, teneantur - animadvertit hanc quaestionem ad aliam generalem controversiam examinandam viam aperire, scilicet - num Graeci orientales ad observandas et retinendas pontificias constitutiones obligati sint, sive eae intra generalia Concilia, sive extra eadem sint promulgata. - Postquam igitur aliquorum doctorum sententiam memorasset, refert: - Super huiusmodi controversiae examine, quum die 4 iulii ann. 1631 doctorum virorum congregatio in palatio Card. Pamphilii, qui postea ad summum evectus pontificatum Innocentii X nomen assumpsit, habita fuisset, sequenti modo conclusum et pronunciatum est: - Subditi quatuor patriarcharum orientis non ligantur novis pontificiis constitutionibus, nisi in tribus casibus; 1° in materia dogmatum fidei: 2° si Papa explicite in suis constitutionibus faciat mentionem et disponat de praedictis; 3° si implicite in iisdem constitutionibus de iis disponat, ut in casibus appellationum ad futurum Concilium. - Porro nullum ex his tribus casibus in themate videretur haberi. Quod etiam ex eo confirmatur quia in pluribus, et etiam quoad impedimenta dirimentia, disciplina circa matrimonium ecclesiarum orientalium discrepat ab ea, quae viget in ecclesia latina, nec, quod sciam, S. Sedes alias in hac materia orientales ligatos censuit pontificiis constitutionibus, nisi res dogmata fidei attingeret. Praeterea ex actis huius S. C., quae decretum praecesserunt, satis colligitur non eam fuisse intentionem legislatoris ut, saltem nunc, etiam orientales ad novam disciplinam suscipiendam adigerentur ".

Nec doctissimus consultor falsus est in his asserendis. Emi enim Patres in supra citata Congregatione ad dubium: " An decreto *Ne temere* adstringantur etiam catholici ritus orientalis „ responderunt: " Quoad catholicos ritus orientalis nihil esse immutatum „.

134. *Principium igitur generale erit, catholicos orientales nulla teneri forma substantiali, ad validitatem scilicet servanda.* Id expresse habemus ex Papp-Szilágyi [1], qui ita scribit : " Quod iam ecclesiam orientalem attinet, probe distinguenda est clandestineitas antiqui iuris a clandestineitate per concilium tridentinum expressa; certumque est, ius orientale non agnoscere nisi clandestineitatem veteris iuris, videlicet prohibitionem contrahendi matrimonium absque publicis ceremoniis ab ecclesia pro eiusdem celebratione praescriptis, quae quidem necessariae sunt ut matrimonii celebratio *licita* evadat et non prohibita „. Alicubi tamen viget etiam in ecclesia orientali ius tridentinum; sic scribit Zitelli, ut supra retulimus : " Apud Maronitas viget clandestinitatis impedimentum non quidem vi publicationis tridentini decreti, sed vi apostolicae approbationis in forma specifica omnium decretorum Synodi prov. Maronit. in monte Libano celebratae ann. 1736 „. Quare apud orientales dicendum erit generaliter nec novum ius nec ius tridentinum vigere, alicubi vero ex exceptione ius tridentinum vigere, quo in casu, idem ius tridentinum, non obstante novo decreto, in sua vi manere et perseverare.

Quum autem nonnullis videretur bonum esse ut dispositio decreti etiam ad orientales extenderetur, praesertim in locis, ubi catholici ecclesiae latinae et catholici orientales simul vivunt, propositum fuit alterum dubium: " Utrum ad eosdem decretum extendere expediat „. Huic tamen dubio noluerunt emi Patres responsionem dare, sed rem totam remiserunt Congregationi de Prop. Fide.

135. His suppositis *quaeres forte quid dicendum in casu, quo catholicus orientalis contrahat cum catholica latina vel viceversa.* Et distinguendum est. Nam vel agitur de orientali, qui ad nullam formam substantialem tenetur, vel agitur de eo, qui debet servare formam tridentinam. Et in hoc secundo casu vel quaestio fit de matrimonio

[1] *Enchirid eccl. orient. cath.* § *118.*

celebrando in loco, ubi promulgatum est decretum tridentinum, quod adhuc vigeat, vel de matrimonio celebrando in loco, ubi decretum tridentinum non amplius viget.

In primo casu, *quando agitur de latino aut latina contrahente cum orientali, qui ad nullam formam servandam tenetur, puto matrimonium invalidum esse quocumque in loco celebretur, nisi servetur forma decreti.* Moveor ex eo quod principium individuitatis contractus, mea quidem sententia, abolitum est praesenti decreto; et ex eo quod vis decreti « Ne temere » personalis mihi videtur, quum in decreto semper quaestio sit de personis, quemadmodum habemus praecipue in art. XI: « Statutis superius legibus tenentur *omnes in ecclesia catholica baptizati* etc. »; « Vigent quoque *pro iisdem* etc. », et nulla est mentio de loco.

In altero casu, *quando agitur de orientali, qui teneatur ad servandam formam tridentinam, puto rem totam regi ex noto principio:* « *Locus regit actum* ». Et re quidem vera hic de contractu agimus; formae autem contractus hoc praecipue principio reguntur [1]; in hypothesi autem habemus duos, qui ad diversam formam contractus obligantur. Praevalere debet ea forma, quae magis propria est illius territorii. Quare puto catholicum latinum, qui in loco, ubi viget decretum « Ne temere », matrimonium init cum catholica orientali, quae lege tridentina ligatur, valide contrahere etiam coram parocho non proprio; invalide e contra matrimonium cum eadem inire coram parocho non proprio, si contrahat in parochia sponsae orientalis, ubi viget tridentinum.

136. *Quid autem si pars latina catholica contrahat cum orientali acatholica?* Huic quaesito aperte respondet decretum art. XI § 2. Ex eo enim decretum « Ne temere » ad validitatem servandum est a catholicis seu ab iis omnibus, qui ad ecclesiam catholicam aliquando pertinue-

[1] Cfr. ex gr. Ricci *Corso teorico pratico di diritto civile, I. 133 seqq.*

runt, etiam tunc, quum matrimonium ineunt cum acatholicis sive baptizatis sive non baptizatis; in qua generalitate verborum evidens est comprehendi etiam schimaticos et haereticos rituum orientalium. Hoc autem semper firmiorem facit persuasionem novum decretum abolevisse illud principium individuitatis contractus, quod hucusque vigebat. Absonum enim esset dicere ex decreto concludendum esse matrimonium catholici orientalis cum catholica latina validum esse, etiam si celebretur non servata forma decreti; matrimonium vero acatholici orientalis cum catholica latina, non servata forma decreti, esse invalidum.

137. Si autem quaeramus rationem legis, *qua statutum fuit*, ut supra dicebamus, *nova forma teneri tum omnes in catholica ecclesia baptizatos, tum eos, qui ad eam ex haeresi vel schismate conversi sunt, licet postea ab eadem defecerint,* non est difficile eam invenire. Quoad catholicos quidem est evidens, quia scilicet hac lege in primis catholicorum matrimonia reguntur; quoad eos vero, qui a catholica defecerint, patet, quia secus ipsa eorum malitia aliquod ipsis afferret emolumentum, nemini autem fraus sua vel dolus patrocinari debet. Et hinc est, quod hi omnes non solum si cum comparte catholica matrimonium inirent, spretis dispositionibus istius decreti, sed etiam si cum comparte acatholica sive baptizata, sive non baptizata, invalide contraherent. Invalidum autem esset matrimonium praecise ex defectu formalitatum essentialium, quae hoc decreto constitutae sunt, non autem ex alio quocumque capite. Hinc, etsi talia matrimonia inita essent non solum cum dispensatione ab impedimento mixtae religionis, sed etiam cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus, nulla et irrita semper exsisterent. Exinde duas habemus maximi momenti immutationes in novissima disciplina. Ille enim, qui apostata a fide catholica ad haereticam sectam transibat, in antiqua disciplina habebatur simpliciter tamquam haereticus, nec amplius regebatur lege tridentina quoad celebrationem sui matri-

monii, si quando haeretici ab ea lege eximebantur. Constat ex responsione S. Officii [1], quod ad quartum quaesitum, quod ei propositum fuerat, scilicet: An pro intelligentia celebris declarationis Benedicti XIV pro Hollandia comprehendi possent sub nomine *haeretici* apostatae ab ecclesia catholica ad haereticam sectam transeuntes, respondit affirmative, dicendo: "Ad effectum matrimonii supra enumeratos comprehendi in laudata Benedicti XIV declaratione „. Huic praeerat alia responsio eiusdem S. Congr. S. Officii in eumdem sensum [2], in qua quaesito, quod proponebatur, dabatur negativa responsio, simul addendo haec verba: " Quum enim alter coniugum haeresim simulet aut apostasiam, non ideo catholicam fidem ex animo deserit. Quocirca quum ambo coniuges sint reapse catholici, clandestinitatis impedimento tenentur. Quod si coniugum alter non haec simularet solum, sed vere animo a catholica fide deficeret, ad haereticam transiens [3] pravitatem, tunc profecto mixtum exsurgeret matrimonium, quod ratum habendum esse ex superius dictis apparet „.

[1] *6 apr. 1859.*

[2] *17 nov. 1835.*

[3] Et hic adnotare velim, abolitionem istius principii, in sensu quo illud hic a canonistis sumitur, verum signare progressum ecclesiasticae iurisprudentiae. Si enim illud sumamus in eo sensu, quo scilicet affirmatur, quemcumque contractum pro utraque parte contrahente validum esse aut invalidum, vel quo, loquendo de matrimonio, dicitur, contractum matrimonialem esse contractum bilateralem, qui numquam habere potest vim pacti unilateralis, seu numquam claudicare potest, ut dicitur, res est certissima humano et divino iure; sed si illud sumamus in sensu specifico, qui eidem datus est a canonistis in relatione ad impedimentum clandestinitatis, quo scilicet intelligimus, personam non ligatam ad servandam solemnitatem substantialem in celebratione matrimonii communicare suam exemptionem etiam alteri parti, quae ligata esset, non solum non concordat principiis iuris, sed iisdem contradicit, ipsi etiam principio individuitatis contractus in recto sensu intellecto, quem supra diximus, et locum habere potest tantummodo ex voluntate competentis legislatoris. Nam, ut adnotat Wernz (*l. c. IV. 40*) " individuitas conctractus in casu inhabilitatis unius partis ex natura rei producit unice effectum negativum nullitatis contractus; hinc vim illam producendi effectum positivum, idest

138. *Immutatio magni momenti,* quae ex decreto in nova disciplina exsurgit, *haec est,* iam scilicet *non amplius vigere in quaestione de clandestinitate principium illud individualitatis (seu individuitatis) contractus,* quod in an-

communicandi alteri parti habilitatem, solummodo habet ex statuto competentis legislatoris, cui pars inhabilis est subiecta. „ Et revera principium istud in altero sensu sumptum introductum forte est ratione eorum, qui insistendo qualitati, quam requirebat tridentinum in parocho ut valide matrimonio assisteret, scilicet quod esset parochus proprius sponsorum, deducebant matrimonio sponsorum, qui diversae essent parochiae, assistere debere utrumque parochum, sponsi scilicet et sponsae. Quae sententia quum communiter non admitteretur, sed e contra defenderetur tamquam certum sufficere ad validitatem matrimonii praesentiam unius parochi, nonnulli ut communem hanc sententiam defenderent, argumentati sunt ex individuitate contractus, non quidem recte, quia scilicet praecise ex ratione unius individui contractus matrimonii, quod necessario a duobus ineundum est parochus proprius unius sponsi est proprius parochus etiam alterius in ordine ad matrimonium; sed quia pars quaedam habilis communicaret parti inhabili habilitatem, quod longe a vero aberrabat. Etiam sententia illorum, qui volebant parochum in sua tantum parochia valide posse assistere (Cfr. Comitolum *Resp. mor. lib. I. 9. 131*) huius principii introductioni favit. Hoc genus argumentandi magis invaluit, postquam Van Espen (*Ius eccl. univ. p. II. tit. 12 c. 5*) illam propugnare voluit sententiam, quam Martinus de Swaen Lovanii debilissimis et nullo modo cogentibus argumentis defenderat, scilicet matrimonia acatholicorum coram magistratu politico aut ministro acatholico contracta etiam in iis locis, ubi decretum tridentinum aliquando fuerat publicatum, esse valida. Ex quo illud quoque infert, matrimonia acatholicorum cum parte catholica inita, non servata forma tridentina, valida esse. Quod hoc modo probat: " Si enim matrimonia sint valida contracta coram magistratu vel ministro haeretico, dum utraque pars est acatholica, etiam valida dicenda videntur, tametsi una pars dumtaxat sit acatholica; eodem argumento, quo matrimonium conctractum in loco, ubi decretum Concilii Tridentini non est publicatum, esset validum clandestine initum, licet una tantum pars in loco isto domicilium haberet, altera vero in loco, in quo decretum est publicatum. „ In quibus evidenter Van Espen († 1729) assumit tamquam certum principium de communicatione exemptionis a forma servanda. Antiquiores autem doctores non ita rem concepisse videntur. Et hoc videtur mihi erui ex iis omnibus, quae de clandestinitate disputant, quum nullam, nisi me aliquid inconsulte fugerit, moveant quaestionem de forma servanda in coniugio ineundo a catholico cum infideli, imo generatim loquentes de clandestinitate unum statuant principium, matrimonium celebrandum in forma tridentina, si

tiqua disciplina ante Benedictum XIV a pluribus admissum, a nonnullis negatum fuerat, post Benedictum XIV ab omnibus et in scholis et in foro admissum fuit; et quod fuit ratio praecipua, saltem iuxta plures, declara-

in loco, ubi celebratur, tridentinum viget, secus valere, etsi in forma tridentina non celebretur. Ita Bonaina, Coninck, Laymann, Pontius, Castropalao. Quod si Wernz (*l. c. IV. 40.* v.) videtur asserere Pontium admittere principium de individuitate contractus, quum tamen nullum citet locum ex Pontio, ubi hoc habeatur, de hac re me certiorem facere non potui; quando tamen Pontius de matrimonio agit clandestino aut de impedimento disparis cultus, aut quum in appendice ex professo quaestionem tractat de matrimonio catholici cum haeretico, nihil de hoc habet. Quod autem addit Wernz ibidem, scilicet: „ Claris conceptisque verbis praesertim Engel a. 1674 idem principium de efficacia *positiva* proclamavit „ non videtur mihi omnino verum. Si enim doctissimus auctor non alludit ad alium quemdam locum, qui me fugit, quando Engel de clandestina desponsatione agit (*Coll. univ. iur. canon. lib. IV. tit. 3. n. 19. dic. II*) haec habet: " Dico II. Si quidam ex loco recepti concilii excurrat ad locum non recepti concilii, et ibi contrahat cum incola illius loci, pariter valebit matrimonium (sine forma tridentina contractum); quum enim contractus matrimonii sit individuus, regulatur secundum locum uniuscuiuslibet ex contrahentibus. Sicut aliunde constat, proprium parochum sponsi esse etiam proprium sponsae, si ex diversis parochiis sint desponsati. „ Hoc autem videtur contrarium innuere; scilicet mens eius est, locum regere actum, non autem sponsum exemptum a forma solemni alteri hanc eamdem exemptionem communicare. Et re quidem vera antiqui Doctores hoc retinuerunt, locum actum regere, nec admiserunt principium illud, quod postea invaluit, et nunc viget (*S. U. I. 13 dec. 1859*) de vi *personali* et locali capitis " Tametsi. „ Sufficiat hic ea afferre, quae habet Pontius (+ 1629) *de matr. App. de matr. catholici cum haeret. c. IX. n. 2* dicens: " Primum spectat ad formam secundum quam tale matrimonium contrahendum est; neque enim apparet qua forma ineundum sit. Sed dicendum est, non obscuram esse huius rei decisionem. Nam si matrimonium contrahat catholicus cum haeretico in eo loco, in quo receptum est tridentinum, sive per se sive per procuratorem contrahat, servanda est forma a tridentino praescripta, ut scilicet praesente parocho et duobus aut tribus testibus contrahatur. . . . . Quod idem verum esse, quamvis tamquam advenae in eo loco versentur, constat ex dictis supra lib. 5. At si matrimonium celebret catholicus cum haeretico in eo loco, ubi tridentinum nondum receptum est, sive sit catholicorum sive haereticorum provincia, non est necessaria ea forma, sed etiam sine testibus et sine denuntiationibus valebit matrimonium, ... Quae quidem omnia ex generalibus principiis absque ulla speciali difficultate colliguntur „.

tionis Benedictinae quoad eam partem, quae respicit matrimonia mixta. Quare nunc post novum decretum impedimentum clandestinitatis in eodem sensu haberi debet ac alia omnia impedimenta dirimentia, in quibus, si una tantum pars ligatur, matrimonium nullum est.

Haec autem explicantur ex iis, quae idem auctor habet in cap. 9. lib. V de matrimonio n. 2., ubi dicit: " Secundo dicendum est, illi, qui sunt ex his regionibus oriundi, in quibus concilium Tridentinum vim obtinet, si alio migrent, ubi non est receptum, possunt valide contrahere clandestine, servata quoad fieri possit antiqua lege ecclesiastica, *sive illac transeant*, sive domicilium ibidem collocarint. Ita sentit Petrus Ledesma, Fernand. Rebellus, citatis aliis, iuxta receptum axioma: Dum fueris Romae etc. „ Eadem habent Bonacina *de matr. q. 2 punct. 7*, Coninck *de sacr. II. disp. 27 n. 14* et alii contra paucos, qui contradicunt cum Henriquez *de matr. lib. XI. c. 2. n. 8.* Nec alio modo videtur mihi explicandum decretum S. C. C. *19 maii 1572* relatum a Rosset *De sacr. matr. IV. 2085*: " Validum est matrimonium contractum in parochia mulieris, ubi tridentinum non est promulgatum, licet in parochia viri fuerit promulgatum. „ Quod decretum dicitur a Rosset relatum a La Croix et Ferraris ex Pignatelli *Cons. can. t. V. c. 79. n. 22,* ubi tamen Pignatelli illud refert sine data et non iisdem verbis, quum Pignatelli haec habeat: " In Pampilonensi, S. Congregatio censuit matrimonium, alias legitime contractum, non esse invalidum ex eo quod omissa fuerit forma S. Concilii tridentini cap. 1. sess. XXIV de ref, matr., si modo praedictum decretum non erat publicatum in loco et parochia mulieris, ubi matrimonium dicitur esse celebratum, etiamsi fuisset celebratum in patria viri. „ Citat Wernz, quin eius verba referat, etiam aliud decretum S. Congregationis anni, ut videtur, 1600, quod dicit relatum a Farinaccio. Hoc decretum, quum nulla habeatur indicatio operis Farinaccii, in quo continetur, invenire impossibile mihi fuit in longa eiusdem auctoris operum serie; sed non dubito, quin eodem modo interpretari illud possimus.

Huic principio de individuitate conctractus in sensu communicationis exemptionis a necessitate formae tridentinae servandae quod in Van Espen et eodem ferme tempore in Reiffenstuel (*in tit. 3 lib. IV Decr. n. 121*) defensores et propugnatores nactum est, et postea non paucos habuit asseclas (cfr. inter alios Schmalzgrueber *in tit. 3 lib. IV Decr. n. 108*), " maximam auctoritatem conciliavit Benedictus XIV *de Synodo lib. VI c. 6. n. 12*, ubi ut doctor privatus testatur se hoc principio innixum ex auctoritate pontificia et cum concordibus suffragiis congregationis coram se habitae a. 1741 celeberrimam edidisse declarationem de valore matrimoniorum mixtorum in Hollandia. „ Wernz *l. c. IV. 40* v.

Abolitionem autem huius principii verum signare iurisprudentiae

139. *Acatholici, sive baptizati sive non baptizati, si inter se contrahunt, nullibi ligantur ad catholicam matrimonii formam servandam.* Hinc non solum matrimonia, quae a non baptizatis inter se contrahuntur, si nempe legitime contrahantur, valida sunt, etiam non servata forma piana, quod evidens est, quum hi non ligentur legibus ecclesiasticis, sed etiam matrimonia, quae sive baptizatus acatholicus cum infideli, sive baptizati acatholici inter se ineunt, ubique terrarum valida sunt, quum hi eximantur hic expresse a lege de forma substantiali in celebratione matrimonii servanda. Patet autem ex dictis, nomine acatholicorum hic non venire eos, qui in ecclesia catholica baptizati aut baptizati in haeresi vel schismate et postea ad catholicam reversi dein tandem defecerunt. De his enim aliud supra statutum fuit, eorumque matrimonia cum parte acatholica nulla declarata fuerunt, nisi servata fuerit forma piana.

140. Quoad hoc non habemus nisi unam exceptionem. Et exceptio est exemptio specialis a lege de clandestinitate, quae a S. Sede pro particulari quodam loco aut regione fuerit statuta. Circa quod non paucae difficultates exortae sunt. Scilicet dubium fuit pluribus, quid ea verba decreti « nisi pro aliquo particulari loco, aut regione aliter a S. Sede sit statutum » significarent. Porro haec dubia perpendens Rmus Dnus Basilius Pompili, qui tamquam consultor eruditissimum votum scripsit praecise ad ea dubia dirimenda, nunc autem a secretis est ipsius S. Congr. Concilii, memorat quidem, sed iure nonnisi per transennam, dubium quoddam omni fundamento destitutum, quod arch. Dublinensis scripsit

progressum ex sequentibus quoque verbis patet, quae transcribo ex Wernz *l. c. IV. 161 (137)*: "Quod si quis cum Feije *l. c. n. 318* atque non paucis episcopis in Concilio Vaticano (cfr. MARTIN, *Coll. doc. C. V. p. 163*) exoptet, ut de iure futuris temporibus constituendo (et de facto nunc in insula Melitensi a Leone XIII constituto) communicatio illa immunitatis in matrimoniis mixtis abrogetur, *haud infitiandum est graves exsistere rationes in favorem talis abrogationis.* „

sibi propositum a pluribus, utrum scilicet ea verba respicerent futura indulta, an potius praeterita [1]. Cui dubio ipse arch. Dublinensis scite respondit, demonstrans nonnisi de praeteritis indultis in decreto quaestionem esse [2].

141. Dubium potius et rationabile illud fuit, quod a pluribus propositum est S. Congregationi, *utrum scilicet dicendum esset, aliter a S. Sede statutum fuisse pro iis regionibus, pro quibus data est celebris declaratio Benedictina (4 nov. 1741)*, scilicet pro foederatis Belgii provinciis seu ordinibus, et pro iis, ad quas postea eadem declaratio extensa est [3]. Ratio dubitandi ex iis praecipue locum habet, quae inter auctores disputabantur, ut supra innuimus, de valore illius declarationis. Si enim vis illius declarationis nonnisi declarativa erat, introductio novi iuris eas quoque regiones respiciebat, pro quibus ea declaratio data fuerat; si vero vis declarationis fuisset vis exemptiva, qua scilicet eae regiones absolvebantur pro matrimoniis mixtis a praescriptione tridentina de substantiali forma servanda, tunc dicendum videbatur

[1] Hi, ut ipse adnotat R. D. Pompili innixi sunt quibusdam verbis, quae leguntur in votis consultoris, defensoris vinculi et R. P. D. Secretarii Congr. Concilii in ephemeride Acta S. Sedis relatis. Quod immerito profecto factum est, quum saepe in discussionibus quaedam consulto immutentur, imo nonnulla penitus reiiciantur. A quo errore non caverunt etiam nonnulli commentatores praesentis decreti, qui plus aequo illis votis institerunt.

[2] En verba ipsius arch. Dublinensis, quae refert R. D. Pompili in suo voto, respondentis: " quidquid sit de opinione ab illis eximiis viris in suis votis expressa, in decreti schematibus ab illis exaratis ne verbum quidem inveniri de indultis a S. Sede sive concedendis sive concessis: quod rationi sane consentaneum videtur, quum plane superfluum esset in eiusmodi decreto de indultis S. Sedis loqui, nisi sermo esset de indultis antea concessis; quod enim ad indulta forsan postea concedenda attinet, per se obvium est per istiusmodi indultum obligationem cuiuscumque decreti (disciplinaris) pontificii aut minui aut omnino tolli posse; ex quo fit ut in decretis S. Sedis usitatum non sit derogatorias clausulas inserere indulta postea forsan concedenda respicientes „.

[3] Quoad horum determinationum non parva adest difficultas et saepe res est non omnino certa.

ea loca suum privilegium quoad hoc retinere etiam post publicationem istius decreti « Ne temere [1]. » Accedit, quod iuxta nonnullos [2] declaratio Benedictina habebat quidem principaliter vim authenticae declarationis, at simul aliquam vim dispensationis praeseferebat; quod quidem augebat difficultatem.

142. Nec praetereundum, quaedam certe dari loca, quibus non facta est extensio declarationis Benedictinae, sed concessa exemptio a lege tridentina pro matrimoniis mixtis. Attamen circa hoc etiam non pauca est incertitudo [3]. Quare necessaria omnino erat aliqua declaratio

[1] Scite hoc animadverterat Gennari *l. c. pag. 37 sqq. in nota.*

[2] Cfr. Wernz, *l. c. IV, 167 (151).* Confer tamen ea, quae habet Pompili in voto citato: " His addi potest animadversio, quae peculiariter respicit matrimonia mixta, videlicet, sive in declaratione Benedictina, sive in pluribus decretis, quae illam ad alias regiones extendunt, validitatem horum matrimoniorum admitti tamquam consectarium validitatis matrimoniorum haereticorum ob principium individuitatis contractus, proindeque, saltem pro ea parte, quae se refert ad mixta coniugia, certe non esse nisi applicationem enunciati principii, idest nonnisi simplicem declarationem. Quod forsan firmari posset etiam verbis, quibus Benedictus XIV utitur, quaeque adversae sententiae patroni sibi favere immerito putant. Verum namque est ibi legi verba: - declaravit *statuitque*, etc. - sed haec verba ex contextu sermonis proxime respiciunt matrimonia, quae inter haereticos contracta sunt vel in posterum contrahentur. Deinde vero de matrimoniis mixtis tantum subiungitur: - si forte aliquod huius generis matrimonium, Tridentini forma non servata, ibidem contractum iam sit, aut in posterum (quod Deus avertat) contrahi contingat, *declarat* Sanctitas sua matrimonium huiusmodi, etc. „.

[3] Cfr. sequentia, quae habentur in citato voto R. D. Pompili: " Post haec accurati doctores, praesertim recentiores, distinguere solent inter loca, pro quibus declaratio Benedictina vere extensa fuit et loca, pro quibus e contra dispensatio quoad matrimonia mixta concessa fuit a S. Sede, et concorditer haec postrema loca coarctant ad Hiberniam, ad Hungariam, ad Imperium Rossiacum cum ea parte Poloniae, quae in eo comprehenditur, ad provincias Rhenanas, ad Bavariam et ad Georgiam, ceteris omnibus regionibus exclusis. — Iamvero nunc de provinciis Rhenanis ac de regno Bavariae amplius non est loquendum, quum istae regiones partes sint Germanici Imperii, pro quo viget constitutio " Provida „ diei 18 ianuarii 1906. Circa reliquas regiones haec observare pos-

decreti, quae imo non tantum declarationis vim haberet, sed simul practice resolveret omnes istas iuris dubietates, quas innuimus. Hoc factum est ab emis PP. Cardinalibus S. C. Concilii in congregatione habita die 1 februarii ultimi (1908), in qua ad dubium a R. P. Subsecretario ipsis emis PP. propositum: « An sub articulo XI §. 2. in exceptione enunciata illis verbis « nisi pro aliquo particulari loco aut regione aliter a S. Sede sit statutum » comprehendatur tantummodo constitutio « Provida » Pii PP. X; an potius comprehendantur quoque constitutio Benedictina et cetera indulta directe vel indirecte constitutioni Benedictinae innixa, » emi PP. perspicuis et clarissimis verbis responsionem suam dederunt: « Comprehendi tantummodo constitutionem *Provida*, non autem comprehendi alia quaecumque decreta, facto verbo cum Ssmo; et ad mentem ». Circa quam responsionem haec sunt adnotanda: 1. emi PP. non usi sunt solita respondendi formula, affirmative scilicet vel negative ad hanc vel ad illam partem dubii, praecise quia verba illa, quibus dubium proponebatur « et cetera indulta directe vel

sum. Nullum adest dubium pro Hibernia latum fuisse verum decretum a S. C. S. Officii die 13 martii 1745 (seu verius an. 1785), et hoc decretum continere dispensationem circa matrimonia mixta independenter a declaratione Benedictina. Idipsum tenendum censeo quoad Hungariam, licet dispensatio concessa fuerit in instructione S C. super negotiis ecclesiasticis extraordinariis diei 30 aprilis 1844, quia et haec quoad substantiam est verum decretum. Non puto, quidquid alii sentiant, veram concessionem factam fuisse pro Georgia; siquidem haec concessio innititur responso S. C. S. Officii anni 1845, ad dubium propositum quoad validitatem matrimoniorum mixtorum. S. Congregatio respondit illic ea matrimonia habenda esse ut valida, sed evidenter in responso applicatum fuit principium individuitatis contractus; quod profecto longe abest a concessione. Ambigendum de imperio Rossiaco: instructio enim S. C. super neg. eccl. extr. anni 1841, quae affertur a doctoribus, plenius in actis esset examinanda et videndum an sit applicatio eiusdem principii, de quo supra, an vera concessio. Nihil dicere valeo de indultis datis quibusdam dioecesibus Helvetiae, quum nesciam ex qua S. Congregatione prodierint: inveni concessionem pro dioecesi Basileensi factam fuisse die 1 iulii 1890, at nihil aliud „.

indirecte constitutioni Benedictinae innixa» aliquam generare poterant dubietatem; sed responsionem suam apertissimis verbis exprimere voluerunt, quibus nulla subesse posset dubitandi ratio: 2° additum est responsioni: facto verbo cum Ssmo; scilicet quia pro aliquibus regionibus, etsi paucis, necessaria erat antiqui iuris seu potius privilegii derogatio et extensio novi iuris a decreto inducti; 3° additum etiam est ad mentem; quo tamen nihil demitur vi responsionis, sed desiderium exprimitur responsionem ipsam firmans et roborans; 4° responsio mirifice rem dirimit, et uniformitati legislationis canonicae consulit. Praeterea etiam melius explicat et declarat fidelibus mentem, quam semper habuit et habet ecclesia, ut scilicet catholici omnes ab huiusmodi nuptiis abhorreant, quemadmodum ab iis ipsa abhorret ecclesia, quae si quando huiusmodi dispensationes concedit et pro talibus matrimoniis incundis solvit etiam ab obligatione servandi formam substantialem praescriptam, id aegerrime facit et unice ut maiora mala impediat, quae obventura timeri debent ex remissiore obedientia aliquorum catholicorum ad eius praecepta et desideria.

Et in his decernendis Patres eminentissimi morem etiam gerere voluerunt nonnullis episcopis, qui iure merito timent, ne nimis facili disciplinae ratione clandestina matrimonia contra ecclesiae bonum succrescant, et vehementer exoptant ut huiusmodi periculum, quantum fieri possit, avertatur [1]. Et quamvis forte alicubi difficultas

[1] Quidam episcopus ita occasione declarationis huius decreti petendae scripsit in sua petitione ad Rom Pontificem: "Hanc ob causam matrimonia mixta clandestina haud secus ac clandestina matrimonia catholicorum generatim in tota dioecesi a populo pro concubinatu habentur, quo fit, ut non a clandestinis tantum matrimoniis facilius deterreantur catholici huius dioecesis, sed et generatim a mixtis... Haec autem bona catholicorum animi dispositio non exstirpanda, sed fovenda videtur, idque vel eo magis quod hodiedum, multiplicatis viis ferreis detectisque nuper in territorio huius dioecesis carbonum fossilium fodinis, huc undique confluunt opifices, machinarii, scribae aliique id genus virorum plerumque iuniorum et saepe acatholicorum, qui, quum acatholicae, quas ducant,

quaedam practica exsurgere exinde possit [1], quum tamen haec difficultas non concipiatur nisi ex remissiore quorumdam catholicorum amore erga fidem, iudicarunt emi Patres, melius se hoc modo fidei incolumitati ac bono prospecturos

143. Quare ex his omnibus clarissimam nunc legem habemus: *Matrimonia omnia, quae ab iis ineuntur, qui in catholica ecclesia sunt baptizati, aut ab iis, qui baptizati in haeresi ad ecclesiam catholicam redierunt, etsi postea ab ea rursus defecerint, si celebrentur non servata forma decreti, invalida sunt, uno excepto Imperio germanico* [2], pro quo viget speciale ius a constitutione D. N. Pii PP. X « Pro-

feminae desint, catholicas puellas ad matrimonium allicere studebunt, allectasque, obnitentibus parochis et parentibus, clandestino matrimonio sibi copulare, non sine magno puellarum et prolis damno spirituali atque populi catholici scandalo, tentabunt. Quae quum ita se habeant, omnibus nervis contendendum esse ducimus, ut pestem illam matrimoniorum mixtorum, praesertim clandestinorum, quae.. infestat, a grege nostro avertamus „.

[1] Idem R. D. Pompili in suo voto adnotat: " Non desunt certe et alii antistites, qui opinantur nimium rigorem ecclesiae erga matrimonia mixta in suis regionibus non profuturum bono animarum et quiet: catholicorum, et qui timeant hunc rigorem ansam dare posse ad avertendos animos a catholica veritate et ad liberos in haeresi educandos; ast an haec vere fundamentum habeant, non facile ex actis eruitur „.

[2] Quares quodnam sit Imperium Germanicum seu quaenam sint regiones, quae sub hoc nomine in constitutione " Provida „ comprehenduntur, et in quibus proinde viget ius speciale et privilegiatum, de quo diximus, quoad matrimonia mixta clandestina. Comprehenduntur autem sequentes regiones: Preussen (Borussia), Lauenburg, Bayern (Bavaria), Sachsen (Saxonia), Würtemberg, Baden, Hessen (Hassia), Mecklenburg-Schwerin, Sachsen-Weimar, Mecklenburg-Strelitz, Oldenburg, Braunschweig, Sachsen-Meiningen, Sachsen-Altenburg, Sachsen-Coburg-Gotha, Anhalt, Schwarzburg-Rudolstadt, Schwarzburg-Sondershausen, Waldeck, Reuss älterer Linie, Reuss jungerer Linie (Reuss tum antiquioris tum iunioris stirpis) Schaumburg-Lippe, Lübeck (Lubecum), Bremen (Brema), Hamburg (Amburgum), Elsass-Lothringen (Alsatia-Lotaringia), Insel Helgoland (insula Elicoland). Non comprehenduntur ee loca, quae sub protectione tantum Germaniae sunt, seu protectoratus germanici (Schutzgebiete), ut vocantur, qui eo ipso quod sub protectione Germaniae sunt et esse dicuntur, Germaniam seu Imperium Germanicum non consti-

vida » (18 ian. 1906) constitutum his verbis: « Matrimonia mixta, quae a catholicis cum haereticis et schismaticis contrahuntur, graviter sunt manentque prohibita, nisi accedente iusta gravique causa canonica, datis integre, formiter, utrimque legitimis cautionibus, per partem catholicam dispensatio super impedimento mixtae religionis rite fuerit obtenta. Quae quidem matrimonia, dispensatione licet impetrata, omnino in facie ecclesiae coram parocho ac duobus tribusque testibus celebranda sunt, adeo ut graviter delinquant, qui coram ministro acatholico vel coram solo civili magistratu vel alio quolibet modo clandestino contrahunt. Imo si qui catholici in matrimoniis istis mixtis celebrandis ministri acatholici operam exquirunt vel admittunt, aliud patrant delictum et canonicis censuris subiacent. Nihilominus matrimonia mixta in quibusvis Imperii germanici provinciis et locis, etiam in iis, quae iuxta Romanarum Congregationum decisiones vi irritanti capitis *Tametsi* certo hucusque subiecta fuerunt, non servata forma tridentina iam contracta, vel (quod Deus avertat) in posterum contrahenda, dummodo nec aliud obstet canonicum impedimentum, nec sententia nullitatis propter impedimentum clandestinitatis ante diem festum Paschae huius anni (1906, quo anno Pascha fuit die 15 aprilis) legitime lata fuerit, et mutuus coniugum consensus usque ad dictam diem perseveraverit, pro validis omnino haberi volumus, idque expresse declaramus, definimus atque decernimus [1] ».

tuunt. Excludendi proinde sunt Togo, Kamerun, Deutsch-Südwest et Deutsch-Ostafrika, (Africa alemanna meridio-occidentalis, Africa alemanna orientalis), Neu-Guinea (Nova-Guinea), Marschallinseln (insulae Marschall), Samoa, et territorium Kiautschou a Germania conductum (Pachtgebiet). Ita KNECHT l. c. IV. a pag. 35.

[1] Iuverit hic integram costitutionem pianam " Provida ,, ad meliorem intelligentiam dictorum tradere:

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Provida sapientique cura quavis aetate Sancta Ecclesia legibus latis

144. Ex iis, quae ex constitutione « Provida » retulimus et matrimonii celebrationem regunt quoad formam substantialem de necessitate servandam vel non, nonnulla exoriri possunt dubia.

ea disposuit, quae ad christianorum connubiorum firmitatem et sanctitatem pertinerent. In quibus legibus illa eminentem locum habet, qua Sancta Synodus Tridentina clandestinorum matrimoniorum pestem abolere et ex populo christiano exstirpare contendit. Magnam ex hoc Tridentino Decreto utilitatem in universam rempublicam christianam promanasse et hodie quoque promanare apud omnes in confesso est. Nihilominus, ut sunt res humanae, contigit alicubi, et praesertim in Imperio Germanico, propter lamentabilem maximamque in religione divisionem et catholicorum cum haereticis permixtionem in dies augescentem, ut cum praedictae legis observantia incommoda etiam quaedam nec levia coniungerentur. Nimirum cum ex voluntate Concilii caput Tametsi non antea in singulis paroeciis vim obligandi habere coeperit quam in illis rite esset promulgatum, et cum haec ipsa promulgatio an facta sit multis in locis dubitetur, incertum quoque non raro sit an lex Concilii obliget etiam acatholicos uno aliove in loco morantes, maxima inde ac molestissima in plurimis Imperii Germanici locis nata est iuris diversitas et dissimilitudo, plurimaeque et spinosae exortae sunt quaestiones, quae in iudicibus quidem persaepe perplexitatem, in populo fideli quandam legis irreverentiam, in acatholicis perpetuas cierent querelas et criminationes. Non omisit quidem Sedes Apostolica pro nonnullis Germaniae dioecesibus opportunas edere dispositiones et declarationes, quae tamen iuris discrepantiam minime sustulerunt.

Atque haec moverunt complures Germaniae Episcopos ut iterum iterumque Sedem Apostolicam adirent communibus precibus huic rerum conditioni remedium petentes. Quorum preces Decessor Noster Leo XIII benigne excipiens praecepit ut ceterorum quoque Germaniae Praesulum vota exquirerentur. Quibus acceptis et toto negotio in Suprema Congregatione Sacrae Romanae et Universalis Inquisitionis mature discusso, Nostrum esse officium intelleximus praesenti rerum statui efficax et universale levamen afferre. Itaque ex certa scientia et plenitudine Nostrae potestatis, ut consulamus sanctitati firmitatique matrimonii, disciplinae unitati et constantiae, certitudini iuris, faciliori reconciliationi poenitentium, ipsi quoque paci et tranquillitati publicae, declaramus, decernimus ac mandamus.

I. In universo hodierno Imperio Germaniae caput *Tametsi* Concilii Tridentini quamvis in pluribus locis, sive per expressam publicationem sive per legitimam observantiam, nondum fuerit certo promulgatum et inductum, tamen inde a die festo Paschae (id est a die decimaquinta aprilis) huius anni millesimi nongentesimi sexti omnes catholicos, etiam

Et ante omnia certum quidem est, matrimonia, *quae in Imperio germanico a catholicis clandestine contrahuntur cum haereticis vel schismaticis, esse et fore valida.* Hoc hucusque immunes a forma Tridentina servanda, ita adstringat ut inter se non aliter quam coram parocho et duobus vel tribus testibus validum matrimonium celebrare possint.

II. Matrimonia mixta, quae a catholicis cum haereticis vel schismaticit contrahuntur, graviter sunt manentque prohibita, nisi accedente iusta gravique causa canonica datis integre, formiter, utrimque legitimis cautionibus per partem catholicam dispensatio super impedimento mixtae religionis rite fuerit obtenta. Quae quidem matrimonia, dispensatione licet impetrata, omnino in facie ecclesiae coram parocho ac duobus tribusve testibus celebranda sunt, adeo ut graviter delinquant, qui coram ministro acatholico vel coram solo civili magistratu vel alio quolibet modo clandestino contrahunt. Imo si qui catholici in matrimoniis istis mixtis celebrandis ministri acatholici operam exquirunt vel admittunt, aliud patrant delictum et canonicis censuris subiacent.

Nihilominus matrimonia mixta in quibusvis Imperii Germanici provinciis et locis, etiam in iis, quae iuxta Romanarum Congregationum decisiones vi irritanti capitis *Tametsi* certo hucusque subiecta fuerunt, non servata forma tridentina iam contracta vel (quod Deus avertat) in posterum contrahenda, dummodo nec aliud obstet canonicum impedimentum, nec sententia nullitatis propter impedimentum clandestinitatis ante diem festum Paschae huius anni legitime lata fuerit, et mutuus coniugum consensus usque ad dictam diem perseveraverit, pro validis omnino haberi volumus, idque expresse definimus atque decernimus.

III. Ut autem iudicibus ecclesiasticis tuta norma praesto sit, hoc idem iisdemque sub conditionibus et restrictionibus declaramus, statuimus ac decernimus de matrimoniis acatholicorum, sive haereticorum sive schismaticorum, inter se in iisdem regionibus non servata forma tridentina hucusque contractis vel in posterum contrahendis; ita ut si alter vel uterque acatholicorum coniugum ad fidem catholicam convertatur, vel in foro ecclesiastico controversia incidat de validitate matrimonii duorum acatholicorum cum quaestione validitatis matrimonii ab aliquo catholico contracti vel contrahendi connexa eadem matrimonia, ceteris paribus, pro omnino validis pariter habenda sint.

IV. Ut demum decretum hoc nostrum ad publicam notitiam perveniat, praecipimus Imperii Germanici ordinariis, ut illud per ephemerides dioecesanas aliosque opportuniores modos ante diem Paschae anni currentis cum clero populoque fideli communicent.

Datum Romae apud S. Petrum die XVIII ianuarii MDCCCCVI, Pontificatus Nostri anno tertio.

PIUS PP. X.

enim expresse edicitur in constitutione « Provida ». Sed quid de matrimoniis, quae ibidem contraherentur clandestine *a catholicis cum non baptizatis,* etiam supposita dispensatione ab impedimento disparitatis cultus? Et certe si velimus legem ex verbis interpretari (verba autem clarissima sunt) dicendum est ea esse et fore invalida. Nam constitutio « Provida » exceptionem non ponit, nisi pro matrimoniis *mixtis,* quae a catholicis cum *haereticis et schismaticis* contrahentur, ad quae contrahenda forte etiam accesserit dispensatio super impedimento *mixtae religionis.* Porro haec omnia respiciunt matrimonia vere mixta in sensu iuris, quae scilicet a catholicis cum acatholicis baptizatis contrahantur, non autem matrimonia, quae a catholicis contrahantur cum non baptizatis.

145. Difficultas esse posset ex eo, quod constitutio "Provida „ supponit principium de individuitate contractus, quod tunc ubique vigebat, nunc autem saltem vigere videtur in Imperio Germanico, multo magis quod non est certum principium illud a novo decreto abrogatum esse, sed eidem tantummodo derogatum forte fuit in articulo XI ex parte [1]. Huic tamen difficultati respondendum mihi videtur in primis principium de individuitate contractus praesenti decreto abrogatum omnino fuisse. Quod non solum ex toto contextu et ex indole decreti suspicari quis posset, ut diximus supra, sed probatum et certum evasit ex subsequenti declaratione S. Congr. Concilii. Certe in congregatione diei 1 februarii proxime elapsi propositum fuit Patribus Cardinalibus sequens dubium: "Num in imperio Germaniae catholici, qui ad sectam haereticam vel schismaticam transierunt, vel con-

[1] Et re quidem vera Rev. D. Pompili in suo voto dicit expresse: "Iamvero quum recens decretum hoc principium (de individuitate contractus) non aboleverit, censerem etc. „ Et haec profecto magni momenti auctoritas est; sed haec scripta ab eo fuerant ante congregationem habitam die 1 febr. huius anni.

versi ad fidem catholicam ab ea postea defecerunt, etiam in iuvenili vel infantili aetate, ad valide cum persona catholica contrahendum adhibere debeant formam in decreto *Ne temere* statutam, ita scilicet ut contrahere debeant coram parocho et duobus saltem testibus „. Cui dubio responsum est: « affirmative ». Porro agitur de eo, qui fuit quidem catholicus, sed hic et nunc est haereticus vel schismaticus; haeretici autem et schismatici in Imperio Germanico non ligantur lege solemnis celebrationis matrimonii: ergo si vigeret principium de individuitate contractus in sensu antiqui iuris, is deberet parti catholicae communicare suam exemptionem; e contra hoc matrimonium subest novo decreto. Principium igitur de individuitate contractus non viget amplius. Nec dicas responsionem continere derogationem a lege. Nam emi Patres respondentes quaesito ne mentionem quidem fecerunt se velle novum ius condere (quo in casu apposuissent suae responsioni solita verba: facto verbo cum Ssmo, quemadmodum responsioni, quam supra retulimus, circa valorem clausulae: " nisi pro aliquo particulari loco etc. „ diximus factum), sed tantummodo legem iam constitutam proposito casui applicarunt. Praeterea sepositis casibus, de quibus agit articulus XI decreti, seposito etiam casu, de quo in ultima citata responsione quaestio erat, nescio an alii multi casus dari possent, in quibus applicaretur principium de individuitate contractus, eo excepto, quem examinat R. D. Pompili de catholico ritus latini contrahente cum catholica orientalis ritus. Quare, etsi revera huic ultimo casui applicanda esset responsio, quam ipse proponit in suo voto, applicatio principii, de quo agitur, maneret exceptio, non regula, ac proinde dici optime posset principium ipsum abrogatum fuisse.

146. Nec dici posse videtur, principium illud vigere adhuc in Imperio Germanico, ratione constitutionis " Provida, „ quae illud principium admittebat et quae viget adhuc ibidem. Responsio enim a nobis superius allata, ex

qua arguimus ad abrogationem principii de individuitate contractus ex novo iure, respicit praecise Imperium Germanicum. Ergo etiam ibi principium abrogatum est; ex quo aliud quoque docemur, ius scilicet particulare quod ex constitutione " Provida ,, iis in regionibus viget, stricte esse interpretandum et adamussim constringendum intra limites verborum constitutionis.

147. Quae quum ita sint, certum mihi est, *ea sola matrimonia eximi in Germania a lege decreti " Ne temere ,, quae vere mixta sunt in sensu iuris seu inter haereticum et catholicum contracta.*

148. Alterum dubium illud esse posset, quod iam praeoccupavi, quum eidem responsum fuerit ab emis PP. Cardinalibus in congregatione diei 1 februarii, et de eo mentionem fecerim supra, scilicet *quid dicendum de iis, qui matrimonium contrahunt cum parte haeretica, quum et ipsi haereticae sectae sunt addicti, fuerunt tamen aliquando catholici*, vel quia in religione catholica baptizati sunt, vel quia in haeresi nati ad fidem tamen catholicam redierunt, etsi postea ab ea defecerint iterum. Et vidimus hos debere de necessitate servare formam decreti, secus eorum matrimonium est nullum.

149. Tertium dubium est sequens. *Quid dicendum de catholico, qui non sit ex imperio Germanico et matrimonium ineat cum haeretica in regionibus ipsius imperii?* Et in primis distinguendum est inter catholicum, qui in imperio Germanico domicilium contraxit, et eum, qui nullum ibidem habet domicilium. Si domicilium ibidem habet, puto eum, etsi oriundus sit ex loco imperio Germanico extraneo, valide ibidem contrahere, etiam non servata forma piana. Ratio est, quia quum habeat ibidem domicilium, eius loci subditus est regiturque proinde legibus loci; multo magis quod hic agitur de contractu, locus autem regit actum; neque hic ullam habemus iuris exceptionem. Idem dicendum est de quasi domicilio; nam « et advena eius loci, ubi quasi domi-

cilium fovet, subditus et parochianus interim esse intelligitur [1] ».

Quid autem si ibidem nec domicilium nec quasi domicilium acquisierit? Et tunc dicendum, mea sententia, huiusmodi catholicum invalide contrahere non servata forma piana. Patet autem ratio, tum quia ex una parte principium illud communicationis in exemptione sublatum est, ut supra dixi; tum quia ex altera parte nihil in hoc decreto habemus, quod nobis ius dare possit dicendi decretum non habere vim personalem, sed localem tantum. Porro quum nihil de hoc dicatur, manet antiquum ius, quod non fuit abrogatum novo decreto, sed tantummodo aliquam derogationem et immutationem passum est.

150. Quarto quaeri potest, *quid de matrimonio haeretici, qui esset ex Germanico imperio, et contraheret cum catholica extra imperium*. Et, quemadmodum patet ex principiis huiusque expositis *matrimonium hoc invalidum esset*, et quidem ex duplici ratione. Primum scilicet, quia ex vi tum locali tum personali decreti, supposita abolitione principii de communicatione in exemptione, matrimonium hoc evidenter decreto regitur, tum quia, etiam in hypothesi quod huiusmodi principium non fuisset abolitum, matrimonium nullum dici deberet ex eo quod privilegium exemptionis a forma servanda, quod conceditur constitutione « Provida », est privilegium mere

[1] D'Ann. *I*, *86*. Haec quidem dicenda videntur, considerato decreto. Verum negari non potest maxime desiderandam esse restrictionem quoad hoc, ita ut saltem quasi domicilium non eximat a necessitate substantialis formae servandae. Quod duo bona praestaret, primum scilicet imminutionem matrimoniorum mixtorum, praesertim clandestinorum, in quibus praecipue haberi vix possunt necessariae cautiones; alterum completam eliminationem a iure quaestionum valde intricatarum de acquisitione quasi domicilii. Imo ob parem rationem optandum esset ut declaretur decretum pianum eam vim habere, ut qui semel eo ligatus est, semper et ubique eodem maneat ligatus; sic etiam in casu domicilii acquisiti contraria responsio danda esset.

locale, ut patet ex ipsis verbis constitutionis: « nihilominus matrimonia mixta *in quibusvis Imperii Germanici provinciis et locis*..... non servata forma tridentina iam contracta, vel (quod Deus avertat) in posterum contrahenda... » Si igitur excluduntur decreto ea tantummodo matrimonia mixta, quae contrahuntur in Imperio Germanico, ea, quae extra imperium contrahuntur, decreto ligantur.

* * *

De clausulis decreti.

151. Decretum est lex pontificia. — 152. Eius promulgatio facta est per transmissionem ad ordinarios. — 153. Lex haec vacat usque ad diem Paschatis Resurrectionis D. N. I. Ch. huius anni 1908. — 154. Ordinarii debent curare ut decretum hoc in vulgus edatur et populo explicetur.

Ut dictis finem imponamus, placet hic per modum appendicis aliqua adnotare circa pauca quaedam, quae ad perficiendum commentarium decreti « Ne temere » necessaria sunt.

151. *Decretum hoc constituit legem vere et stricte pontificiam,* nec haberi debet tamquam simplex decretum S. Congregationis Concilii, quae in hoc decreto edendo fuit potius organum et instrumentum, quo Romanus Pontifex usus est ad hoc ut decretum conficeret « quo leges a Se, ex certa scientia et matura deliberatione probatae, continerentur (*Decr.* « *Ne temere* » *prooem.*) ad statuendam novam formam celebrationis sponsalium et matrimonii. Quamvis aliquo modo dici etiam possit decretum S. Congregationis; nam « in exsecutionem Apostolici mandati S. Concilii Congregatio praesentibus litteris constituit atque decernit » ea, quae ipsi ad intentum finem necessaria aut conducentia visa sunt. Nec

visum est sufficere, quod decretum S. Congregatio ederet de iis, quae iam Pontifex matura deliberatione, accitis in consilium Cardinalibus et Consultoribus Consilii ad ius canonicum in unum redigendum constituti, nec non eadem S. Congregatione Concilii, statuerat, sed etiam postea conflatum decretum iuxta datas normas et instructiones iussit vulgari litteris « valituris de mandato speciali SSmi D. N. Pii PP. X, contrariis quibuslibet etiam peculiari mentione dignis minime obstantibus ». Et haec finalis clausula vim habet confirmationis specificae et simul est derogatoria omnium dispositionum praecedentium, praesertim capitis « Tametsi » Concilii Tridentini.

152. *Alterum, quod adnotationem hic meretur*, illud est, quod in fine decreti ante clausulam finalem supra memoratam habetur; scilicet in primis *decretum habendum esse legitime publicatum et promulgatum per eius transmissionem ad locorum ordinarios*. In quo habemus exceptionem singularem ab iis, quae ordinarie locum habent in promulgatione decretorum et legum S. Sedis. Hae enim generatim promulgantur per affixionem earum in quibusdam consuetis locis Romae, nempe ad valvas basilicae S. Petri, basilicae Lateranensis etc.[1]; pro hoc autem decreto modus promulgationis fuit omnino singularis, quum ipsa transmissio decreti ad locorum ordinarios locum tenuerit consuetae promulgationis. Et notandum hic est *transmissionem*, non receptionem, decreti necessariam et sufficientem fuisse ad eius promulgationem [2]. Quare quum S. Congregatio Concilii decretum latum statim transmiserit ex officio omnibus locorum ordinariis, promulgatio statim facta est pro toto orbe.

153. *Lex autem ista vacans erit, ut dicitur, usque ad Pascha Resurrectionis D. N. I. Ch., idest usque ad diem 19*

[1] Cfr. *resp. S. Poen. 8 nov. 1821, 15 iun. 1870.*

[2] Cfr. KNECHT, *Die neuen eherechtlichen Dekrete "Ne temere" vom 2 August 1907 und "Provida" vom 18 Ianuar 1906, pagg. 28 sqq.*

aprilis huius anni 1908; seu ea tantum die incipiet suum robur habere [1]. In hoc S. Congr. Concilii secuta est exemplum Concilii Tridentini, quod iussit suam legem de forma substantiali (*Cap.* « *Tametsi* ») servanda in contrahendo matrimonio nonnisi post triginta dies ab eius facta publicatione in unaquaque parochia vim suam sortituram.

154. Ultimo loco *S. Congregatio*, inhaerens etiam quoad hoc vestigiis Concilii Tridentini, *monet ordinarios, ut curent praesens decretum quamprimum in vulgus edi et in singulis suarum dioecesum parochialibus ecclesiis explicari,* ut ab omnibus rite cognoscatur. Ex quibus patet, parochum non defuncturum officio suo, si decretum tantummodo populo e suggestu legeret, sed debere ipsum explicare ita ut omnes cognoscere possint quid ab ipsis faciendum in posterum sit pro legitima sponsalium et matrimonii celebratione.

[1] Nonnulli episcopi et praesertim vicarii apostolici considerantes practicas difficultates, quae sese opponebant praescriptioni decreti, qua nova forma substantialis vim suam obligandi exserere debet a die 19 aprilis huius anni, ratione scilicet habita difficultatis efficiendi ut ad singula loca sui territorii notitia haec posset pervenire, petierunt aliquam prorogationem pro eiusdem decreti publicatione et applicatione. S. Congregatio Concilii, ad quam plures ex his petitionibus directae fuerant, rem remisit S. Congregationi de Prop. Fide, utpote quae melius perspectas habet peculiares conditiones praesertim missionum. Et haec S. Congregatio, facultatibus acceptis a SS. D. N. Pio PP. X, statuit et vicariis apostolicis communicavit, pro tota regione Sinensi decretum " Ne temere „ vim non habiturum, nisi a die solemni Paschae proxime insequentis annis 1909 (die 11 aprilis). *Litt. Emi Card. Hier. Gotti Praef. S. C. de P. F. 29 febr. 1908.*

APPENDIX

Iam typis mandare ceperam hoc opusculum, quum eminentissimi Patres Cardinales S. Congregationis Concilii in nova Congregatione, quam ad dirimenda alia quaedam dubia circa interpretationem decreti « Ne temere » eidem S. Congregationi proposita, habuerunt die 28 martii proxime elapsi has nuperrimas dederunt responsiones.

Sacra Congregatio Concilii

Romana et aliorum dubiorum

circa decretum de Sponsalibus et Matrimonio.

Propositis in generali Congregatione diei 28 martii 1908 sequentibus dubiis, nempe:

I. *Utrum validum sit matrimonium contractum a catholico ritus latini cum catholico ritus orientalis, non servata forma a decreto* Ne temere *statuta.*

II. *An in art. XI, § 2 eiusdem decreti sub nomine* acatholicorum *comprehendantur etiam schismatici et haeretici rituum orientalium.*

III. *Num exceptio, per Const.* Provida *in Germania inducta, censenda sit uti mere localis, aut etiam personalis.*

IV. *An ordinarii et parochi nedum explicite sed etiam implicite* « invitati ac rogati », *dummodo tamen* « neque vi neque metu gravi constricti requirant excipiantque contrahentium consensum », *valide matrimoniis assistere possint.*

V. *An ad licitam matrimonii celebrationem habenda sit ra-*

tio dumtaxat menstruae commorationis, aut etiam quasi-domicilii.

VI. *Utrum sponsalia, praeterquam coram ordinario aut parocho, celebrari valeant etiam coram ab alterutro delegato.*

VII. *Utrum sponsalia celebrari possint dumtaxat coram ordinario vel parocho domicilii aut menstruae commorationis, an etiam coram quolibet ordinario aut parocho.*

Emi Patres, omnibus sedulo perpensis, respondendum mandarunt:

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Affirmative.*

Ad III. *Exceptionem valere tantummodo pro natis in Germania ibidem matrimonium contrahentibus, facto verbo cum Sanctissimo.*

Ad IV. *Affirmative.*

Ad V. *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

Ad VI. *Negative.*

Ad VII. *Posse celebrari coram quolibet ordinario aut parocho, dummodo intra limites territorii eiusdem ordinarii vel parochi.*

Die autem 30 dicti mensis martii SSmus Dnus Noster, audita relatione infrascripti Secretarii S. C. Concilii, supra relatas Emorum Patrum resolutiones ratas habuit et approbavit, quibuslibet in contrarium minime obstantibus.

† VINCENTIUS Card. Ep. Praenest., *Praefectus.*

B. Pompili, *Secretarius.*

Gaudeo profecto plures hisce responsionibus solutas fuisse quaestiones, quas in opusculo ipse proposueram, easque, generatim loquendo, eumdem in sensum, quo ipse eas solvendas putaveram. Dixi generatim loquendo; in una enim vel in altera aliquam discrepantiam deprehendere quis posset. Verum si is consideret, me unice interpretem constituti iuris egisse, eminentissimos vero Patres pro sua auctoritate non ad strictam interpreta-

tionem dandam fuisse constrictos, sed ad suggerendum SSmo Domino illud, quod pro re nata melius conducturum putabant ad bonum et salutem fidelium libere processisse; non mirabitur me quaedam, quae nunc authentice declarata sunt, potius tradidisse tamquam ea, quae in votis habebam, quam veluti id, quod iam decreto ipso constitutum dici posset. Omnia autem, quae a Patribus Cardinalibus pro sua sapientia hcic definita sunt, confirmationem specificam habuerunt, ut patet ex ipsis verbis supra relatis, ab ipso Romano Pontifice.

Ceterum liceat brevem quamdam analysim harum quaestionum et responsionum instituere, simulque indicare quo in loco commentarii haec ipse tractaverim.

Primum dubium agit de catholico ritus latini contrahente cum catholica ritus orientalis, et edicitur generalibus verbis huiusmodi matrimonium fore nullum, nisi in eius celebratione servata fuerit forma piana. De hac quaestione egi in opusculo num. 135, eamque dimisi distinctione quadam, quam ex ipsis iuris principiis deducendam censui, et quam nescio an ab eminentissimis Patribus suo examini et responsioni fuerit subiecta.

Alterum dubium quaerit an in secunda paragrapho articuli XI sub nomine acatholicorum comprehendantur etiam schismatici et haeretici rituum orientalium. Responsum autem fuit: « affirmative ». Et haec responsio firmat ea, quae scripsi in num. 136 commentarii.

Tertium dubium respicit constitutionem « Provida » et petitur, an ea censenda sit mere localis aut etiam personalis. Responsum autem est: exceptionem valere tantummodo pro natis in Germania ibidem matrimonium contrahentibus. Hanc quaestionem pertractavi sub numeris 149 et 150, ubi tradebam exceptionem non valere nisi pro iis, qui ex imperio Germanico essent, vel quia ibi nati vel quia ibidem domicilium aut quasi domicilium fovebant, quique in eodem imperio contrahebant; simulque in nota desiderium aperiebam ut domicilium vel quasi domicilium non eximeret a necessitate

substantialis formae servandae. Illud, quod in votis habebam, lex evadit ex hac Patrum responsione, quae privilegium ad rationabiles limites reducit, facto verbo cum SSmo.

Quartum dubium examinat quaestionem de invitatione implicita, quam ego sub numero 78 pertractavi. Patres eam diremerunt in eodem sensu, quem ipse proposueram.

Quintum dubium agit de quasi domicilio, quaerens num eius ratio habenda sit ad licitam matrimonii celebrationem, an ad eam attendi unice debeat menstrua commoratio. Et hanc unice attendendam voluerunt eminentissimi Patres, quod me etiam in votis habere dicebam in nota; quamvis hoc ipsum non putarem ex ipso decreto deduci adhuc posse. Cfr. ea, quae scripsi sub num. 95.

Sextum dubium agit de sponsalibus et quaerit an ordinarius vel parochus possint alium delegare ad hoc ut ipsis subscribat. Responderunt autem eminentissimi Patres negative, quemadmodum scripseram sub num. 54.

Septimum autem dubium quaerit an sponsalia possint subscribi a quolibet ordinario aut parocho; eique responsum est, quemlibet ordinarium aut parochum hoc posse, intra limites tamen sui territorii. Confer ea, quae scripsi sub numero 53, et nota responsionem Patrum: « posse celebrari etc. » nil aliud importare, quam subscriptionem a quolibet ordinario vel parocho in suo territorio fieri posse, eosque eam vocem usurpasse, quia ea in dubio proposito inveniebatur.

	Errata	Corrige
Pag. 76 not. 4 lin. 5. —	The Pope can make private sponsalia in foro interno	The Pope can make private sponsalia *invalid* in foro interno

Apud eundem editorem

WERNZ Franc. Xav. S. I. **Ius Decretalium** ad usum praelectionum in Scholis textus Canonici sive iuris decretalium.

Tomus I. **Introductio in ius decretalium.** Editio altera emendata et aucta (XVI - 472 p.) . . . . . L. 6,50

Tomus II. **Ius constitutionis Ecclesiae Catholicae.** (Lib. I. Decretal. Pars I et pars II. Edit. altera aucta et emendata (XXIV - 1116 p.) . . . . . » 15.—

Tomus III. **Ius administrationis Ecclesiae Catholicae.** (Lib. III. Decretal.) Pars I et pars II. Editio altera aucta et emendata (XXIV - 842 p.) . . . . . » 13.—

Tomus IV. **Ius matrimoniale Ecclesiae Catholicae.** (Lib. IV. Decret). *Non amplius exstant exemplaria* . . » 15.—

Reliqui tomi huius operis, qui sequuntur:

Tomus V. **Ius iudiciorum Ecclesiae Catholicae.** (Lib. II. Decretal.).

Tomus VI. **Ius criminale Ecclesiae Catholicae.** (Lib. V. Decretal.

DE-LUCA Mariani S. I. **Praelectiones Iuris Canonici** quas in schola institutionum canonicarum habebat P. Marianus De-Luca S. I. nunc textum decretalium professor in universitate Gregoriana et S. Congr. Concilii Consultor.

— **Introductio Generalis** . . . . . » 4.—

— **Liber de Personis** . . . . . » 7.—

— **Liber de Rebus Ecclesiasticis** . . . . . » 5,10

— **Liber de Judiciis** . . . . . » 5,50

— **Liber de Delictis et Poenis** . . . . . » 4,70

— **Commentarii in Librum IV Decretalium,** seu de Sponsalibus et Matrimonio . . . . . » 8.—

— **Compendium pro Auditoribus Textus Canonici:** De Iudiciis Ecclesiasticis civilibus. Editio altera expolitior et auctior . . . . . » 6.—

— **LUCIDI Angeli. De Visitatione sacrorum Liminum instructio S. Concilii** Edita iussu S. M. Benedicti XIII. Exposita et illustrata et quam humillime dedicata S. M. Pii IX Pont. O. M. per Angelum Lucidi a scribendis literis ad relationes Episcoporum in S. C. Episc. et Regul. Editio quarta emendata et aucta per Laurentium Lugari S. I. Tria vol. . . . . » 27.—

348.741 7595
Oj 2 OJETTI, BENEDICTUS
AUTHOR
In Jus Antepianum etc.
TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
1/6/39	Jos. D. O'Brien	
	Callahan	
	Darby	
	DEC 18/78	

7595